REGESTI

DEI

ROMANI PONTEFICI

PER LE CHIESE DELLA CALABRIA

REGESTI

DEI

ROMANI PONTEFICI

PER LE CHIESE DELLA CALABRIA

CON ANNOTAZIONI STORICHE

DI

Mons. DOMENICO TACCONE-GALLUCCI

VESCOVO DI NICOTERA E TROPEA

ROMA

TIPOGRAFIA VATICANA

MDCCCCII.

PREFAZIONE

Il Pontificato Romano esercita per divina istituzione nella Società Cristiana il magistero della Fede, della morale e della disciplina; e perciò si rende promotore di ogni bene religioso e civile, nella sua Apostolica sollecitudine verso tutte le Chiese. Lo sviluppo degli studî storici all'epoca nostra conferma con nuove prove tal fatto. Quindi a ragione l'augusto nostro Pontefice LEONE XIII emise quest'aurea sentenza: *Incorrupta rerum gestarum monumenta, si qui tranquillum et praeiudicatae opinionis expertem intendat animum, per se ipsa Ecclesiam et Pontificatum sponte magnificeque defendunt. Licet enim in iis institutorum Christianorum germanam naturam magnitudinemque intueri: inter fortia certamina inclitasque victorias, divina vis Ecclesiae virtusque cernitur; et manifesta factorum fide eminent et apparent collata a Pontificibus Maximis beneficia in universas gentes magna, sed in eas maiora quarum in sinu Sedem Apostolicam providentia Dei collocavit.... Perfectis semel maiore mole operibus, ex fide monumentorum quae habentur certiora, reliquum erit capita rerum ex illis operibus excerpere, litterisque mandare dilucide et breviter* (Epist. *Saepenumero*, die 18 Aug. 1883).

Di siffatti documenti ebbe sempre cura la Chiesa di Dio. La tradizione divina ed ecclesiastica della prima epoca del Cristianesimo pervenne intatta dalle vetuste Catacombe Romane: dopo il trionfo, cominciarono i registri di ciascun atto promulgato dalla Sede Apostolica. È noto che nel pontificato di S. Damaso e sotto la direzione di S. Girolamo si ristabilì l'antichissimo *Scrinium* ovvero *Chartarium Apostolicum*, dal quale ebbero origine la Biblioteca e l'Archivio del Palazzo Pontificio. Quivi si conservavano le Sacre Scritture, i decreti dei Pontefici, e gli atti dei Concilî e dei Martiri. Il *Sacrum Scrinium Lateranense* in seguito divenne più prezioso, poichè speciali cancellieri lo accrescevano con diligenti ed autentiche copie delle disposizioni disciplinari dei Sommi Gerarchi nel reggime delle singole Chiese. Da ciò i Regesti, quasi *Res gestae*, in cui trovasi un tesoro inesauribile di memorie e di erudizione.

La edacità del tempo ne distrusse gran parte; ma la perdita di quegl' importanti diplomi si è riparata con altri esemplari, che si trovavano altrove o si erano gia inseriti in parecchie collezioni di sacri Canoni. Colla invenzione della stampa essi vennero più assicurati e diffusi; e la Storia ne trae profitto.

Ora i Regesti dei Romani Pontefici formano una serie di più di duemila grossi volumi in pergamena, nel grande Archivio Vaticano; e sono come l'emporio delle storiche discipline e dei fasti più memorandi della Chiesa Cattolica. Ogni Nazione trova quivi gelosamente conservato il suo patrimonio di memorie antiche.

Rimasti incolumi nel loro originale gli atti dei Pontefici Giovanni VIII e S. Gregorio VII, gli altri diplomi si perderono nel Medio-evo. Occorse perciò di trascriverli da altre copie conservate negli archivî di molti Vescovati e Monasteri d'Italia e di Europa. La serie quasi completa dei Regesti Vaticani comincia dal Pontefice Innocenzo III, alla fine del secolo duodecimo.

Ai meriti insigni ed alle glorie molteplici del Pontefice

Leone XIII si aggiunge quella di aver dato incremento alle storiche discipline coll'apertura dello stesso Archivio Vaticano (il primo del Mondo), colla istituzione di una Commissione Cardinalizia per gli Studî Storici, e colla pubblicazione d' importanti documenti, i quali celebrano nella loro vetustà la beneficenza dei sommi Gerarchi per la disciplina e per la civiltà, ed onorano le Chiese alle quali si riferiscono.

All'esempio dell'eruditissimo defunto Card. Giuseppe Hergenröheter, a cui pel primo il sapiente Pontefice affidava tanto nobile cómpito, parecchi storici ed eruditi d'Italia, di Germania e di Francia pubblicano ed illustrano in Vaticano i Pontificî diplomi finora inediti.

Facciamo voti che per ciascuna regione della nostra Italia, in cui ha Sede venerata e perpetua il Vicario di Gesù Cristo, si procuri presto la raccolta e la illustrazione dei Regesti che le spettano. Ed intanto abbiamo cercato di dare un saggio di siffatta utile intrapresa per la nostra Calabria, con questo tenue lavoro, che speriamo sia accolto dai cultori della ecclesiastica erudizione.

Abbiamo dunque riunito, con non lieve difficoltà, i diplomi o Regesti Pontificî che han rapporto alle Chiese della Calabria. Il più antico di essi è quello di S. Innocenzo I e di S. Gelasio, nel quinto secolo; e poi seguono gli altri, in numero di più di duecento, per tutto il secolo decimosesto. Ne abbiamo tralasciato qualcuno non rinvenuto, e qualche altro del tutto apocrifo. Dei più recenti abbiamo fatto soltanto un cenno, perchè facili a consultarsi negli archivî delle Sacre Congregazioni Romane. L'erudito e paziente lettore osserverà che molti documenti sono inediti, e pubblicati da noi per la prima volta.

Ciascun documento è seguito da un'Annotazione Storica, che lo illustra in quanto alle persone, ai luoghi ed alle circostanze relative. Profittando degli appunti presi nello studio delle cose

nostrali e di ciò che avevamo esposto in alcune Monografie storiche, ci proponemmo di formare come lo schema ed il *substratum* di una Storia delle nostre Chiese Metropolitane, Arcivescovili e Vescovili, delle quali compilammo anche la Cronotassi. Oltre i libri antichi, abbiamo consultato le opere più recenti di critica storica, secondo che si riferivano al nostro soggetto. Le assidue e gravi cure del nostro Episcopale ministero e la lontananza dalle biblioteche e dagli archivî di Roma, ci scuseranno per la imperfezione del nostro lavoro.

Noi presentiamo una prova speciale della sollecitudine, che per i nostri padri si degnarono mostrare i Romani Pontefici. Alla decantata scienza di un Pitagora, alla sapienza legislatrice di un Zaleuco ed alla bellica virtù di un Telesino, ammiriamo sostituita la santa parola e l'autorevole sentenza del Sommo Pastore della Chiesa di Gesù Cristo.

Al cadere dell'Impero Romano, emerge l'opera restauratrice di un Innocenzo e di un Gelasio: poi i caritatevoli e saggi provvedimenti del magno Gregorio, alla prima invasione dei barbari che distruggevano gli avanzi della Magna-Grecia e della Bruzia; e nel corso dei secoli seguenti il verbo decretorio dell'invitto S. Gregorio VII, di Alessandro III e di molti altri fra i più celebri Successori del Principe degli Apostoli.

Se il modesto nostro libro produrrà nei lettori un più fervido senso di devozione e di gratitudine verso il Pontificato Romano, noi avremo il premio più desiderato e soddisfacente.

Da Tropea, nella festività dei SS. Apostoli Pietro e Paolo, 1902.

SOMMARIO

I.

S. INNOCENTIUS PP. I.

(ANNO 416)

De quibusdam Presbyteris a sacerdotali officio removendis.

Innocentius *Maximo et Severo Episcopis per Brutios.* — Ecclesiasticorum canonum norma nulli esse debet incognita Sacerdoti, quia nesciri haec a pontifice satis est indecorum, maxime cum a laicis religiosis viris et sciatur et custodienda esse ducatur. Nuper quidem Maximilianus filius noster agens in rebus huiusmodi, qualem querelam detulerit libelli eius series adnexa declarat. Qui zelo fidei et disciplinae ductus, non patitur Ecclesiam pollui ab indignis presbyteris, quos in presbyterio filios asserit procreasse. Quod non licere exponerem, nisi nossem vestram prudentiam legis totius habere notitiam. Et ideo, fratres carissimi, libelli qui subiectus est tenore perspecto, eos, qui talia perpetrasse dicuntur, iubebitis in medio collocari; discussisque obiectionibus, quae ipsis presbyteris infinguntur, si convicti fuerint, a sacerdotali removeantur officio, quia qui sancti non sunt sancta tractare non possunt, atque alieni efficiantur a ministerio quod vivendo illicite polluerunt. Miramur autem haec eorum dissimulare Episcopos, ut aut connivere aut nescire esse illicita iudicentur. - MIGNE, *Patrol. Lat.* tom. XX - (1).

II.

S. GELASIUS PP. I.

(ANNO 494)

Pro reparandis militiae Clericalis officiis, temperata Canonum severitate.

Gelasius *dilectissimis fratribus universis Episcopis per Lucaniam et Brutios et Siciliam constitutis.* — Necessaria rerum dispensatione constringimur et Apostolicae Sedis moderamine convenimur, sic Canonum paternorum decreta librare et retro praesulum Decessorumque Nostrorum praecepta metiri, ut quae praesentium necessitas temporum restaurandis Ecclesiis relaxanda deposcit, adhibita consideratione diligenti, quantum potest fieri, temperemus, quo nec in totum formam veterum videamur excedere regularum, et reparandis militiae Clericalis officiis, quae per diversas Italiae partes ita belli famisque consumpsit incursio, ut in multis Ecclesiis (sicut fratris et Coëpiscopi nostri Ioannis, Ravennaten Ecclesiae Sacerdotis, frequenti relatione comperimus) usquequaque deficiente servitio ministrorum, nisi remittendo paulisper ecclesiasticis promotionibus antiquitus intervallo, praefixa remaneant, sine quibus administrari nequeant, sacris Ordinibus Ecclesiae funditus destitutae, atque in plurimis locis per inopiam competentis auxilii valutare subsidium redimendarum desit animarum, Nosque magno reatu, si tanto coarctante periculo non aliquatenus videamur innecti.

Priscis igitur pro sui reverentia manentibus constitutis, quae ubi nulla vel rerum vel temporum perurget angustia, regulariter convenit custodiri, eatenus Ecclesiis, quae vel cunctis sunt privata ministris, vel sufficientibus usque adeo dispoliatae servitiis ut plebibus ad se pertinentibus divina munera supplere non valeant, tam instituendi quam promovendi Clericalis obsequii sic spatia dispensanda concedimus. Ut si quis etiam de religioso proposito et disciplinis monasterialibus eruditus, ad Clericale munus accedat, in primis eius vita praeteritis acta temporibus inquiratur, si nullo gravi facinore probatur infectus, si secundam

non habuit fortassis uxorem nec a marito relictam sortitus ostenditur; si poenitentiam publicam fortassis non gessit, nec ulla corporis parte vitiatus apparet; si servili aut originariae non est conditioni obnoxius; si curiae iam probatur nexibus absolutus; si assecutus est liberos sine quibus vix fortassis Ostiarii possit implere ministerium. Ut si his omnibus, quae sunt praedicta, fulcitur, continuo Lector vel Notarius aut certe Defensor effectus, post tres menses existat Acolythus, maxime si huic aetas etiam suffragatur; sexto mense Subdiaconi nomen accipiat; ac si modestae conversationis honestaeque voluntatis existit, nono mense Diaconus, completoque anno fit Presbyter. Cui tamen quod annorum interstitia fuerant collatura, sancti propositi sponte suscepta doceatur praestitisse devotio. Si vero de laicis quispiam ecclesiasticis est aggregandus officiis, tanto solicitius in singulis, quae superius comprehensa sunt, huiusmodi decet examinari personam, quantum inter mundanam religiosamque vitam constat esse discriminis, quia utique convenientia Ecclesiae ministeria reparanda sunt, non in convenientibus meritis ingerenda, tantoque magis quod sacris aptum possit esse servitiis in eorum quaerendum est institutis, quantum de tempore, quo fuerant haec assequenda, decerpitur, ut morum habere doceatur haec probitas, quod prolixior consuetudo non contulit; ne per occasionem supplendae penuriae Clericalis, vitia potius divinis cultibus intulisse iudicemur, non legitimae familiae computemur procurasse compendia; quorum promotionibus super anni menses, sex menses nihilominus subrogemus, quoniam, sicut dictum est, distare convenit inter personam divino cultui deditam et de laicorum conversatione venientem. Quae tamen eatenus indulgenda credidimus, ut illis Ecclesiis, quibus infestatione bellorum vel nulla penitus vel exigua remanserunt, ministeria renoventur; quatenus his Deo propitio restitutio in ecclesiasticis gradibus subrogandis Canonum paternorum vetus forma servetur: nec contra eos ulla ratione praevaleat quod pro occidentis defectus remedio providetur, non adversus scita maiorum nova lege proponitur, caeteris ab hac occasione cessantibus, quas non simili clade vastatas, pristinam faciendis Ordinationibus convenit tenere sententiam. Quo magis hac opportunitate

commoniti, observantiam venerandorum canonum propensius delegamus, singulorum graduum conscientias admonentes, ne in illicitos prorumpere moliantur excessus. Nec fas esse confidat quisque Pontificum, bigamos aut coniugio sortientes ab aliis derelictam, sive quoslibet poenitentium vel sine literis, vel corpore vitiatos, vel conditionarios, aut curiae publicarumque rerum nexibus implicatos, aut passim nulla temporis congruentis expectatione discussos divinis servituros applicare mysteriis; neque pro suo libitu iura studeant aliena pervadere, absque Sedis Apostolicae iusta dispositione mandante. Basilicas noviter institutas, non petitis ex more praeceptionibus, dedicare non audeant; nec ambiant Episcopi sibimet vindicare clericos potestatis alienae. Baptizandis consignandisque fidelibus Sacerdotes pretia nulla praefigant, nec illationibus quibuslibet impositis exagitare cupiant renascentes, quoniam quod gratis accepimus gratis dare mandamur. Et ideo nihil a praedictis prorsus exigere moliantur, quo vel paupertate cogente deterriti vel indignatione revocati, redemptionis suae causas adire despiciant, certum habentes, quod qui prohibita deprehensi fuerint admisisse vel commissa non potius sua sponte connexerint, periculum subituri proprii sint honoris. Nec minus etiam Presbyteros ultra modum suum tendere prohibemus, nec Episcopali fastigio debita sibimet audacter assumere, non conficiendi Chrismatis, non consignationis Pontificalis adhibendae sibimet arripere facultatem: non, praesente quolibet Antistite, nisi fortasse iubeantur, vel orationis vel actionis sacrae supplendae sibi praesumant esse licentiam: neque sub eius aspectu, nisi iubeantur, aut sedere praesumant aut veneranda tractare mysteria. Nec sibi norint ulla ratione concedi, sine Summo Pontifice, Subdiaconum aut Acolythum ius habere faciendi; nec prorsus addubitent, si quidquam ad Episcopale ministerium specialiter pertinens suo motu putaverint exequendum, continuo se Presbyterii dignitate et sacra Communione privari. Quod fieri necesse est censemus, si eorum Praesule deferente, huiusmodi fuerit praevaricatio comprobata, nec ipso eorum Episcopo a culpa conniventiae et ultione vacaturo, si immoderata facientem dissimulaverit vindicare. Diaconos quoque propriam contituimus servare mensuram; nec ultra tenorem paternis canonibus deputatum,

mulata subrepant, quorum quodlibet si inesse claruerit, merito Clericalibus infulis reprobabilem convincat esse personam. Etsi illa nonnumquam sinenda sunt, quae, si coeterorum constet integritas, sola nocere non valeant; illa tamen sunt magnopere praecavenda, quae recipi nisi manifesta declaratione non possint. Ac si ea ipsa, quae nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur, vel rerum temporumque cogit intuitus vel acceleratae provisionis respectus exscusat, quanto magis illa nullatenus mutilanda sunt, quae nec ulla necessitas nec ecclesiastica prorsus extorquet utilitas?

Baptizandi sibi quisquam passim quocumque tempore nullam credat inesse fiduciam, praeter Paschale festum et Pentecostes venerabile Sacramentum, excepto dumtaxat gravissimi languoris incursu; in quo verendum est, ne morbi crescente periculo, sine remedio salutari fortassis aegrotans exitio praeventus abscedat. Ordinationes etiam Presbyterorum et Diaconorum, nisi certis temporibus et diebus exercere non debent, idest quarti mensis ieiunio, septimi et decimi, sed etiam Quadragesimalis initii ac mediana Quadragesimae die, sabbati ieiunio circa vesperam noverit celebrando, nec cuiuslibet utilitatis causa, seu Presbyterum seu Diaconum iis praeferre, qui ante ipsum fuerint ordinati.

Devotis quoque Deo virginibus, nisi aut in Epiphaniarum die aut in albis Paschalibus, aut in Apostolorum natalitiis sacrum minime velamen imponant, nisi forsitan (sicut de Baptismate dictum est) gravi languore correptis, ne sine hoc munere de saeculo exeant implorantibus, non negetur. Viduas autem velare Pontificum nullus attentet, quod nec auctoritas divina delegat nec canonum forma praestituit. Non est ergo penitus usurpandum; eisque sic ecclesiastica sunt ferenda praesidia, ut nihil committatur illicitum. Generalis etiam querelae vitanda praesumptio est, qua propemodum causantur universos passim servos, et originarios, et dominorum iura possessionumque fugientes, sub religiosae conversationis obtentu, vel ad Monasteria sese conferre vel ad ecclesiasticum famulatum, convenientibus quoque Praesu libus, indifferenter admitti; quia modo omnibus est amovenda pernicies ne per Christiani nomen, aut aliena pervadi aut publica videatur disciplina subverti, praecipue cum nec ipsam ministerii

promotionis accipiant, satisque habeant hoc ipsum sibi pro nimia miseratione permissum. De his autem, qui se ipsos abscindunt, paterni canones evidenter sequenda posuerunt, quorum tenorem sufficiat indidisse. Dicunt enim talia perpetrantes, mox ut agniti fuerint, a munere Clericali debere secludi. Quod modis omnibus custodire nos convenit, quia fas esse nulli suppeditat, quidquam praeter illa, quae memorabilis decrevit forma, censere.

Comperimus etiam horrendis quibusdam criminibus implicatos, tota discretione submota, non solum de factis atrocibus necessariam poenitudinem non habere, sed nec aliqua correctione penitus succedente ad divinum ministerium honoremque contendere. Nonnullos autem etiam in ipsis Ordinibus constitutos, gravibus delinquentes facinoribus, non repelli, cum et Apostolus clamet: *Nemini cito manus imponendas, neque communicandum peccatis alienis*, cum maiorum veneranda constituta pronuncient, huiusmodi, etiam si forte subrepserint, tam qui ante peccaverunt detectos oportere repelli, quam sacrae professionis oblitos praevaricatorèsque sancti propositi procul dubio submovendos.

Usque adeo sane conperimus, illicita quaeque prorumpere, ut daemoniacis similibusque passionibus irretitis, ministeria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si hoc opere positis aliquid propriae necessitatis occurrat, quis de sua fidelium salute confidet, ubi ministros ipsos curationis humanae tanta perspexerit calamitate vexari? Atque ideo necessario removendi sunt, ne quibuslibet, pro quibus Christus est mortuus, scandalum generetur infirmis. Postremo si corpore sauciatum fortassis aut debilem nequaquam sancta contingere lex divina permittit, quanto magis doni caelestis dispensatores esse non convenit, quod est deterius, mente perculsos?

Virginibus autem sacris temere se quosdam sociare cognovimus, et post dicatum Deo propositum incesta foedera sacrilegaque miscere. Quos protinus aequum est a sacra Communione detrudi; et nisi per publicam probatamque poenitentiam omnino non recipi. Sed tamen his Viaticum de saeculo transeuntibus, si tamen poenituerint, non negetur. Nam de Viduis sub

processionibus audacter instituere memorantur. Quae quoniam tam acerba, tam dura sunt, ut eadem vix noster ferre possit auditus, si re vera Christianitatis affectus in illis regionibus certus et fixus est, et districtius ista quaerantur, et a quibus fuerint gesta prodantur. Quoniam sicut latentibus in hac atrocitate nominibus non extat in quem sententia debita proferatur; ita cum manifestis fuerit documentis expositus,quem tanti sceleris poscit immanitas, non effugiet ullatenus ultionem.

Nihilominus impatienter audivimus, tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut foeminae sacris altaribus ministrare ferantur, et cuncta, quae non nisi virorum famulatui deputata sunt, sexum, cui non competit, exhibere. Nisi quod omnium delictorum, quae sigillatim perstrinximus, noxiorum reatus omnis et crimen reos respicit Sacerdotes, qui vel ista committunt, vel committentes minime publicando, pravis excessibus se favere significant, si tamen sacerdotum iam sint vocabulo nuncupandi qui delegatum sibi religionis officium sic prosternere moliuntur, ut in perversa quaeque profanaque declinantes, sine ullo respectu regulae Christianae praecipitia funesta sectentur. Cumque scriptum sit: *Minima qui spernit, paulatim decidit;* quid est de talibus existimandum, qui immensis ac multiplicibus pravitatum malibus occupati, ingentem ruinam multimodis impulsionibus ediderunt, quae non solum ipsos videatur obruere, sed et Ecclesiis universis mortiferam, si non sanantur, inferre perniciem? Nec ambigant, qui haec ausi sunt exercere, sed etiam qui hactenus cognita siluerunt, sub honoris proprii se iacere dispendio, si non quanta possint celeritate festinent, ut lethalia vulnera competenti medicatione curentur. Quo enim more teneant iura Pontificum, qui pontificalibus excubiis eatenus iniuncta dissimulant, ut contraria domui Dei, cui praesident, potius operentur? Qui quantum apud Dominum possunt, si non nisi convenientia procurarent, tantum quid mereantur adspiciant, cum execrabili studio sectantur adversa; et quasi magis haec regula sit, qua Ecclesiae debeant gubernari, si quidquid est Ecclesiasticis inimicum regulis perpetratum, cum et si cognitos habuit Canones unusquisque Pontificum intemerata debuerit tenere custodia. Et si forsitan nesciebat, consulere fidenter oportuerit scientem. Quo magis excusatio nulla succurrit

errantibus, quia nesciens, proposuit servare quod noverat, nec ignorans curavit nosse quod gereret.

Quatuor autem tam de reditu quam de oblatione fidelium, prout cuiuslibet Ecclesiae facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones. Quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, pauperum tertia, quarta fabricis applicanda. De quibus, sicut Sacerdotis intererit, integram ministris Ecclesiae memoratam dependere quantitatem: sic Clerus ultra delegatam sibi summam nihil insolenter noverit expetendum. Ea vero quae ecclesiasticis aedificiis attributa sunt, huic operi veraciter praerogata, locorum doceat instauratio manifesta sanctorum, quia nefas est, si sacris aedibus destitutis, in lucrum suum praesul impendia his designata convertat. Ipsam nihilominus adscriptam pauperibus portionem, quamvis divinis rationibus se dispensasse monstraturus esse videatur, tamen iuxta quod scriptum est: *Ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in coelis est*, oportet etiam praesenti testificatione praedicari, et bonae famae praeconiis non taceri.

Quapropter nec Clericorum quispiam se huius offensae futurum confidat immunem, si in his quae salubriter sequenda deprompsimus, sive Episcopum, sive Presbyterum, sive Diaconum viderit excedentem, non protinus ad aures Nostras deferre curaverit, probationibus dumtaxat competenter exhibitis, ut transgressoris ultio fiat et coeteris interdictio delinquendi. Sic vero modis omnibus erit unusquisque Pontificum ordinis et honoris elisor, si cuiquam Clericorum vel Ecclesiae totius auditui haec putaverit supprimenda. - BULLARIUM ROMANUM, tom. VII - (2).

III.

(ANNO 496)

Archidiaconus quidam a munere submotus auctoritate Apostolica.

Gelasius *Ioanni Episcopo.* — Nos ausus impii commovere Aselli, qui archidiaconatus fungebatur officio; nam cum, duro casu lethaliter sauciato Pontifice, prae caeteris Ecclesiam custodire debuerit, ac ne quid de Episcopali domo subduceretur, et

eum ipsum in tumultu praesenti permisit occidi, cum ad fatendum servari debuisset, utrum haec sua voluntate peregerit, aut cuiusquam praecipitatus impulsu, et prius ab eo, quia idem creditorius Praesulis fuisse dicitur interempti, ecclesiastica requiri substantia. Quis autem non evidenter intelligat, propter hoc praecipuum dictum citius fuisse sublatum, quatenus nec complices proderet, et ignorata facultas Ecclesiae facilius direptionibus subiaceret? Nam et libellarius occisus Episcopi perhibetur inventus, et vir bonus Asellus ac suo gradu dignus (quod nunquam ante tentatum est) prius in se decretum adactis Ecclesiae ministris compulit celebrari, quam de excessu secundum tramitem vetustatis ad Sedis Apostolicae notitiam relatio mitteretur. Quam sit autem intolerabile malum, quis Christianus addubitet? Ut cum soleat etiam communi sorte defuncto Pontifice transitus eius ante omnia nuntiari, competens depurari visitatio, atque ita de subrogando Sacerdote tractari, hic unus extiterit, qui interfecto religionis Antistite, de suo mox honore cogitaverit, quam studuerit deferre quod gestum est. Ubi tametsi latet extrinsecus quid agatur, tamen affectatae potestatis abruptum conscientiam suspicione non exuit, defuncti locum pariter. Interim ne quis hoc unquam audeat usurpare, quod ante istum nullus est ausus, ab officio quod gerebat nostra sit auctoritate submotus, donec quid in perpetuum de tali ordinari censeamus plenius retractetur. Si qua sane iuris ecclesiastici sustulisse convincitur, modis omnibus reformare cogatur. - MIGNE, tom. LIX - (3).

IV.

(ANNO 496)

Delegat visitationem Ecclesiae Scyllacenorum, ob caedem geminatam Pontificum.

Gelasius *Maiorico et Ioanni Episcopis.* — Ita Nos quidem *Scyllacenorum* caedes geminata Pontificum horrendi sceleris atrocitate confudit, ut diu constitutio nostrae deliberationis haesitaret, dum et ingerere quemquam parricidialibus exemplis dubitaremus Antistitem. Quapropter iam velut usum consuetudinemque sacrilegam declinantes, eatenus Religioni duximus consulendum, ut

serant respuerunt, sacrae Communionis arceantur accessu, donec quae honori divino competunt discant devota mente deferre. Contra quos etiam quidquid publicis legibus agi poterit, minime negligatur. Ut qui utrumque tempserunt utrisque cohibiti, tam sibi quam caeteris praebeant quod necessaria disciplina poscit exemplum. Caelestinus vero presbyter, fratris et coëpiscopi nostri Sereni, qui contra Pontificale iudicium contraque Apostolicae Sedis mandata prorumpens supradictis Communionem sacram ministrare praesumpsit, cum non potuerit ignorare sententiam proprii Sacerdotis, ab officio protinus ecclesiastico pellatur; ut nullus Ecclesiae ministrorum contra Pontificalia instituta venire contendat. - MIGNE, tom. LIX - (5).

VI.

(ANNO 496)

Quod in regione Bruttiorum quidam obstringantur superstitione.

Gelasius *Maiorico et Ioanni, Episcopis Bruttiorum.* — Comperimus quod quidam in eadem regione, sumpta tantum Corporis sacri portione, a calicis sacri Cruore abstineant. Qui procul dubio nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur; quia divisio unius eiusdem Mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire. - MIGNE, tom. LIX - (6).

VII.

S. GREGORIUS PP. I.

(ANNO 591)

Nuntiat se Paulinum Taurianensem Monasterio B. Theodori praeficere velle.

Gregorius *Felici, Episcopo Messanensi.* — Et tibi gratum confidimus, si fratris tui viri venerabilis Episcopi Paulini peregrinationis onera releventur, et eius regimine communi mercede B. Theodori Monasterium in civitate tua fundatum studiosius

diligenter invigilet; et si eiusdem loci Monachos bene se tractare noveris, in quibus eos necessitatem habere manifesta veritate patuerit, eis subvenire hac auctoritate suffultus modis omnibus festinabis, sciturus tuis rationibus quidquid nostra praeceptione praebueris imputandum. Sed et terrulam Ecclesiae nostrae vicinam, quam solidum unum et tremisses duos pensitare asserunt, si ita est, sibi libellario nomine ad summam tremissis unius habere concede. Studii ergo tui sit, haec omnia ita complere, si, sicut diximus, eius loci Monachi in Dei servitio, sicut decet, solertes perstiterint. - MIGNE, tom. LXXVII - (9).

X.

(ANNO 591)

Paulinus, Episcopus Taurianensis, praeficitur vacanti Ecclesiae Liparitanae Sacerdote privatae.

Gregorius *Maximiano Episcopo Syracusano.* — Locis munitis Ecclesia constituta Pastoris vacare non debet officio. Quia igitur Ecclesia Liparitana Sacerdote privata dignoscitur, ideo Paulinum, Taurianensis Ecclesiae Episcopum, in praedicta Ecclesia Liparitana fraternitas tua sine mora praeesse constituat; ut officii sui administrationem in eadem Ecclesia vigilanter exhibeat, et quaeque eius utilitatibus convenire didicerit ordinare non desinat. Cunctumque clerum, ut in omnibus canonice ei obedire debeat, admoneas, quatenus praefatae Ecclesiae in cunctis utilitas, praedicto fratre et episcopo nostro disponente, Christo adiuvante, procurare valeat. - MIGNE, tom. LXXVII - (10).

XI.

(ANNO 592)

Taurianensis Ecclesiae visitationem iubet, retenta ab Episcopo sede in Liparitana Ecclesia.

Gregorius *Paulino Episcopo.* — Scire te volumus, quia Maximiano fratri et coëpiscopo nostro scripsimus, ut fraternitatem tuam Ecclesiae Liparitanae ex Nostra auctoritate praeesse constituat. Cui te modis omnibus obedire necesse est, eiusque

bus solerter invigilet, et animarum magis lucris quam commodis suae vitae praesentis intendat. In continendis aut disponendis rebus Ecclesiae diligenter insistat; ut ex parte susceptum digne te gessisse pastoris officium venturus Iudex, cum ad iudicandum venerit, debeat approbare. - MIGNE, tom. LXXVII - (12).

XIII.

(ANNO 592)

Crotoniensis Ecclesiae, post Antistitis obitum, visitatio et cura.

Gregorius *Ioanni Episcopo Scyllacino.* — Obitum Crotonensis Antistitis directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutae Ecclesiae fraternitati tuae operam solemniter delegamus; quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus Clericorum, reditu, ornatu ministeriisque, vel quidquid istud est, in patrimonio eiusdem a quoquam praesumatur Ecclesiae. Et ideo fraternitas tua ad praedictam Ecclesiam ire properabit; et assiduis adhortationibus Clerum plebemque eiusdem Ecclesiae admonere festinet, ut remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi praeficiendum expetant Sacerdotem, qui et tanto ministerio dignus valeat reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati et dilectionis tuae testimonio litterarum, ad Nos veniat consecrandus. Commonemus fraternitatem tuam, ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter Clericos ipsius Civitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad Episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Provisurus ante omnia, ne ad hoc cuiuslibet conversationis vel meriti laicae personae aspirare praesumant, et tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras. Monasteria autem, si quae sunt in ipsius Parochia constituta, sub tua cura dispositioneque, quousque illic proprius fuerit Episcopus ordinatus, esse concedimus, ut sollicitudinis tuae vigilantia proposito suo congrua, Deo iuvante, actione respondeat. - MIGNE, tom. LXXVII - (13).

ut cum bona exterius agis, haec interius cum magna cautela custodias, ne appetitus placendi hominibus subrepat, et omnis labor boni operis incassum fiat. Nos enim qui sumus, quibus placere ab hominibus quaeritur? Quid namque aliud, quam pulvis et cinis sumus? Sed Illi tua fraternitas placere desideret, qui et non longe est ut appareat, et omne quod retribuerit finem nullo modo habebit. - MIGNE, tom. LXXVII - (15).

XVI.

(ANNO 593)

Ut Stephaniae res a Lucii quondam Episcopi actoribus inique ablatae reddantur.

Gregorius *Bonifacio Episcopo Regitano.* — Sicut Ecclesia proprias res amittere non debet, ita etiam rapacitatis ardore invadere alienas non oportet. Stephania siquidem latrix praesentium quasdam res suas temporibus decessoris tui Lucii, quondam Episcopi, ab actoribus eius vi queritur occupatas. Et quia sibi eas petiit, iustitia favente, debere restitui; propterea fraternitas tua cum Dei timore haec quae asserit subtiliter curet addiscere. Et si ita, quemadmodum supra scripta foemina ait, esse repereris, quaecumque male ablata sunt, faciat sine aliquo damno vel dilatione restitui. Nam valde durum est, res alienas contra rationem Ecclesiam detinere. Ita ergo querimoniam praefatae mulieris salubriter finire festina, ut nec Nos exinde denuo molestiam patiamur, nec te avarum vel desidiosum haec causa demonstret. - MIGNE, tom. LXXVII - (16).

XVII.

(ANNO 593)

Ne Clerus Regitanae civitatis remissione relaxetur.

Gregorius *Bonifacio Episcopo Regitano.* — Contumelia Sacerdotum est, de divinis cultibus admoneri. Quod ipsi debent exigere, turpiter exiguntur. Hinc ne (quod non aestimamus) in aliquo fraternitas tua ea quae ad opus Dei pertinent negligat, de hoc ipso specialiter providimus adhortandum. Admonemus itaque, ut

decet nec convenit. Pervenit itaque ad Nos, in Monasterio S. Andreae, quod iuxta Vulcanum est positum, multa perpetrari facinora. Atque ideo nostrae auctoritatis praeceptione suffultum, ad id te Monasterium proficisci necesse est, et omnia, quae dicuntur, subtili investigatione discutere. Et si ita (quod absit), inveneris, sic illos regulariter vindicabis, ut digna eos correctio a pravis et illicitis de caetero doceat actibus abstinere. - MIGNE, tom. LXXVII - (19).

XX.

(ANNO 595)

Ecclesiam Carinensem, Rhegiensi coniunctam, Bonifacio Episcopo subiicit.

Gregorius *Bonifacio Episcopo Rhegitano.* — Postquam Ecclesiae Carinensis, defuncto eius Antistite, alium ordinari nec loci desertio nec sinit imminutio personarum, maiori cura constringimur, ne, defunctis earum sacerdotibus, consistentes, ibidem si Pastoris fuerint moderamine destituti per invia fidei hostis callidi rapiantur insidiis. Sed hoc Nostro sedet cordi consilium, tuae eam sollicitudini debere committi, quod facere per praesentia scripta perspeximus. Cuius ut curam gubernationemque studiosius habere gerereque festines, tuae eam Ecclesiae aggregari unirique censemus, quatenus utrarumque Ecclesiarum Sacerdos recte, Christo adiutore, possis existere; et quaeque tibi de eius patrimonio vel Cleri ordinatione ac canonica vigilantia visa fuerint cura disponere, quippe ut Sacerdos proprius, liberam habebis ex praesenti nostra promissione licentiam. Quapropter, frater carissime, dominicorum reminiscens salubriter mandatorum, ita in commissae plebis regimine lucrandisque animabus invigila, ut ante tribunal aeterni Iudicis constitutus, fructum bonae operationis, quod ad mercedem tuam pertineat, Redemptori nostro, in quo laetari possis, exhibeas. - MIGNE, tom. LXXVII - (20).

solitudinem in mente facit. In cuius praesentia nullus locus compunctae animae est secretus. Aeternae enim suavitatis odorem trahitis, atque ideo Sponsum animae ardenter amatis, ita ut cum coelesti sponsa ei dicere possitis: *Trahe me post te, in odorem unguentorum tuorum curremus* (Cantic. 1). In epistolis autem excellentiae vestrae hoc minus reperi, quia mihi de serenissima Domina indicare noluit quae studiose legat, vel in lectione qualiter compungatur. Prodesse quidem ei multum debet vestra praesentia, ut inter causarum fluctus, quae assidue patitur, ex quibus velit nolit foras trahitur, semper ad amorem coelestis patriae interius revocetur; et hoc quoque investigare debetis, quoties ei pro sua anima lacrymae dantur utrum adhuc ex timore, an iam ex amore compungatur. Duo quippe sunt compunctionis genera, sicut scitis. Unum quod aeternas poenas metuit, aliud quod coelestibus praemiis suspirat, quia Deum sitiens anima prius timore compungitur, postea amore. Ante enim semetipsam in lacrymis afficit; quia dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia aeterna pertimescit. At vero cum longa moeroris anxietate fuerit formido consumpta, quaedam iam de praesumptione veniae securitas nascitur; et in amore coelestium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat antequam duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit quia differtur a regno. Contemplatur etenim mens qui sunt illi Angelorum chori, quae ipsa societas beatorum spirituum, quae visio internae caritatis Dei; et amplius plangit quia a bonis perennibus deest, et quia flebat prius cum mala aeterna metuebat, sicque fit ut perfecta compunctio formidinis trahat aliam ad compunctionem dilectionis. Quod bene in sacra veracique Historia figurata narratione describitur, quae ait: *Axa filia Caleph sedens super asinam suspiravit. Cui dixit pater suus: Quid habes? At illa respondit: Da mihi benedictionem. Terram australem et arentem dedisti mihi: iungi et irriga. Et dedit ei pater suus irriguum inferius et irriguum superius* (Iudic. 1). Axa quidem super asinam sedet, cum irrationabilibus carnis suae motibus anima praesidet. Quae suspirans, a patre terram irriguam petit; quia a Creatore nostro cum magno desiderio quaerenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli qui iam in dono percipiunt libere pro iustitia loqui, oppres-

sunt. Sed quia gravia pretia eis indicunt, multi apud nefandissimos Longobardos hactenus remanserunt. Mox et medietatem pecuniae, quam transmisistis, in eorum redemptionem transmisi. De medietate vero ancillis Dei, quas vos graeca lingua Monasticas dicitis, lectisternia emere disposui, quia in lectis suis gravi nuditate huius hyemis vehementissimo frigore laborabant, quae in hac Urbe multae sunt. Nam, iuxta notitiam qua dispensantur, tria millia reperiuntur. Et quidem S. Petri Apostolorum Principis rebus octoginta annuas libras accipiunt. Sed ad tantam multitudinem ista quid sunt? Maxime in hac Urbe, ubi omnia gravi pretio emuntur. Harum vero vita talis est, atque in tantum lacrymis et abstinentia districta, ut credamus quod si ipsae non essent, nullus nostrum iam per tot annos in loco hoc subsistere in Longobardorum gladios potuisset. Praeterea benedictionem S. Petri Apostoli clavem a sacratissimo eius Corpore transmisi, de qua videlicet Clavi hoc est gestum quod narro miraculum. Dum eam quidam Longobardorum civitatem ingressus, in transpadanis partibus invenisset quia S. Petri clavis esset despiciens; sed pro eo qui eam auream vidit, facere sibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum ut eam incideret. Qui mox cultellum, cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum, sibi in gutture defixit; eademque hora defunctus cecidit. Et dum illic rex Longobardorum Autharith atque alii multi eius homines adessent, et is qui se percusserat, seorsum mortuus, Clavis vero haec seorsum iaceret in terra, factus est omnibus vehementissimus timor, ut eamdem clavem de terra levare nullus praesumeret. Tunc quidam Longobardus catholicus, qui sciebatur orationi et eleemosynis deditus, Minulfus nomine, vocatus est, atque ipse hac levavit de terra. Autharith vero pro eodem miraculo aliam clavem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctae memoriae Decessorem meum transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset. Ipsam ergo vestrae Excellentiae transmittere studui, per quam Omnipotens Deus superbientem et perfidum hominem peremit, ut per eam vos; qui eum timetis et diligitis, et praesentem salutem et aeternam habere valeatis. – MIGNE, tom. LXXVII – (22).

Quia rationis ordo non patitur ut Monasterium ipsum, et maxime contra voluntatem fundatorum, ab eorum dispositione ad arbitrium suum praesertim laica persona subducat, aut aliquis sibi in id ius debeät vindicare. – MIGNE, tom. LXXVII – (24).

XXV.

(ANNO 597)

Monasterii Castelliensis privilegia commendat.

Gregorius *Ioanni Scyllacensi.* — Grave nimis et contra sacerdotale constat esse propositum, velle cuiusquam Monasterii privilegia olim indulta confundere, et ad irritum quae sunt pro quiete disposita niti deducere. Questi itaque Nobis sunt Monachi Castelliensis Monasterii, quod in fraternitatis vestrae civitate est constitutum, quia eidem Monasterio quemdam contra ea quae a Praedecessoribus Nostris permissa ac consuetudine longa servata sunt, festinetis superinducere, et antiquam ordinationem quadam praeiudicii novitate turbare. Proinde his fraternitatem vestram hortamur affatibus, ut si ita est, ab eius molestia se sine aliqua excusatione contineat, et quae ei sunt diutius custodita, nullius occasionis tenet usurpatione convellere; sed cuncta illibate et sine aliqua studeat refragatione servare, et plus sibi in eodem Monasterio quod praedecessoribus suis licuit, noverit non licere. Quia vero pariter questi sunt fraternitatem tuam quaedam de Monasterio sub xenii quasi specie abstulisse, necesse est ut si quid te indecenter recolis accepisse, sine dilatione restituas, ne avaritiae te graviter culpa redarguat, quam largum erga Monasteria sacerdotalis magis debuerat munificentia demonstrare. Servatis itaque omnibus, quae a tuis, sicut diximus, praedecessoribus permissa sunt ac servata, curae tuae sit circa actus ac vitam consistentium illic Monachorum vigilantem insistere; et si quempiam illic prave conversari, aut in aliquam immunditiae, quod absit, culpam inveneris incidisse, districta ac regulari emendatione corrigere. Nam sicut ab iis, quae incongrue usurpantur, fraternitatem vestram volumus abstinere; ita in his quae ad disciplinae rectitudinem vel animarum custodiam pertinent, esse

nitione praecedente, nec ille contra iustitiam gravari, nec vestra praeiudicium videatur Ecclesia sustinere. Quia vero homines suos et possessiones, quas illic habet, vobis voluit commendari, oportet ut vestra se charitas in eius causis quodcumque ratio invitaverit non omittat impendere. Atque ita eum in quibuscumque voluerit iuvare festinet; ut, concurrentibus vobis, absentem se a suis utilitatibus esse non agnoscat. – MIGNE, tom. LXXVII – (26).

XXVII.

(ANNO 598)

Pro Ecclesia Locrensi et Monasterio S. Christophori.

Gregorius *Secundino Episcopo Tauromenitano.* — Scripta fraternitatis vestrae suscepimus, in quibus indicastis reverendissimum fratrem nostrum Marianum Locrensis civitatis Episcopum aliter Nobis de causa Ecclesiae contra Monasterium S. Christophori, quod in vestra dioecesi est constitutum, intimasse, non quidem fallendi voluntate, sed quia a clericis suis non fuerat veritatis naturam diligenter instructus. Et quoniam scribitis Dulcinum decessorem ipsius nihil de rebus Ecclesiae suae fuisse testatum, sed de propriis ac magis quae in praedicto Monasterio fidelium oblatione collata sunt, eulogium condidisse, atque sex uncias Ecclesiae et sex eidem Monasterio iure haereditario reliquisse; necesse est, ut si ita esse non ex opinione sed absolute in veritate recolitis, nulla praedicto Monasterio sinatis molestiam irrogari, praecipue dum eamdem causam iam temporibus reverendae memoriae Maximiani Episcopi vos atque fratrem nostrum coëpiscopum Rufinum ex eius deputatione audisse ac decidisse testemini, adeo ut inter partes ea quae inveniri poterant partirentur, et quod Ecclesiae fuit intrinsecus redderetur. Volumus ergo ut pars utraque conticeat, et ea quae a fraternitate tua una cum praedicto Rufino quondam Episcopo statuta sunt, inconvulsa persistant, quatenus nec pars Ecclesiae denuo iniuste quaestionem inferre, nec Monasterium irrationabiliter videant, post vestram maxime definitionem, controversiam sustinere. – MIGNE, tom. LXXVII – (27).

ut hactenus extitit, videris esse negligentem ea quae eum facere oportuerat, te agere volumus et implere in omnibus, quatenus Ecclesiarum utilitas nulla occasione depereat; sed et Nobis quaeque acta fuerint renunciare festina, ut a Nobis quid post hoc facere debeas instruaris. – MIGNE, tom. LXXVII – (29).

XXX.

(ANNO 599)

De trabibus e Brutio pro Ecclesiis SS. Apost. Petri et Pauli Romam deferendis.

Gregorius *Arogi (Arechi) duci.* — Quia sic de gloria vestra sicut revera de filio nostro confidimus, petere aliena a Vobis fiducialiter provocamur, arbitrantes quod minime Nos patiamini contristari, maxime in tali re unde anima vestra multum poterit adiuvari. Iudicamus autem propter Ecclesias BB. Petri et Pauli aliquantas nobis trabes necessarias esse; ideo Sabino subdiacono nostro iniunximus, ut de partibus Brutiorum aliquantas incidere, et usque ad mare in locum aptum trahere debeat. Et quia in hac re solatiis indiget, salutantes gloriam vestram, paterna caritate petimus, ut actionariis vestris, qui in loco sunt, deputetis, ut homines, qui sub eis sunt, cum bobus suis in eius transmittere debeant solatium, quatenus Vobis concurrentibus melius quod ei iniunximus possit perficere. Nos non promittimus, quia dum res perfecta fuerit, dignum vobis xenium, quod non sit iniuriosum, transmittamus; nam scimus Nos considerare, et filiis nostris qui bonam voluntatem exhibent respondere. Unde iterum petimus, gloriosissime fili, ut ita facere debeatis, ut et Nos vobis possimus esse praestito beneficio debitores, et vos mercedem pro Sanctorum Ecclesiis habeatis. – MIGNE, tom. LXXVII – (30).

XXXI.

(ANNO 599)

Quoad Epistolam praecedentem sub celeritate ad Arogem ducem deferendam.

Gregorius *Maurentio Magistro militum.* — Propterea quod in Ecclesiis BB. Petri et Pauli trabes sunt necessariae, omnino Sabino subdiacono iniunximus, ut aliquantas de partibus Bru-

XXXIII.

(ANNO 599)

Homines cum bobus ad Sabinum iuvandum mittantur.

Gregorius *Stephano et Venerio Episcopis.* — Quamvis fraternitatem vestram officii sui qualitas pro ecclesiarum utilitatibus ultro solatiari commoneat, non tamen ab re est si illud ex abundanti nostra hortemur epistola quod facere vos convenit prona voluntate. Proinde in ecclesiis beatorum Petri et Pauli trabes valde necessarias fraternitati vestrae duximus indicandum. Et quoniam Sabino subdiacono ut aliquantas incidere et usque ad mare trahere debeat, unde huc adduci valeant, iniunximus, atque in ea re manifestum est cum opus habere solatiis, sanctitas vestra, ut oportuerit, ei toto studio totaque intentione opem ferre studeat, ac in eius solatio boves hominesque transmittat, ut nullam excusationem inveniat, sed quae ei praecipimus, vobis opitulantibus, implere sufficiat. Ita ergo fraternitas vestra faciat, ut ei se quantum valet impendat. Nam quantum praedicti subdiaconi culpa est, si vobis concurrentibus piger extiterit, tanto culpabilius erit et gravius, si qua se occasione fraternitas vestra aut excusare, aut indevotam, quod non credimus, monstrare voluerit. Debes autem scire hanc fraternitati tuae curam vehementer incumbere, cuius Ecclesiae trabes olim cultu proprio consueveras procurare. – MIGNE, tom. LXXVII – (33).

XXXIV.

(ANNO 599)

Ad cognoscendam causam inter Bonifacium Episcopum et Clerum Rhegitanum.

Gregorius *Sabino subdiacono.* — Clerus Ecclesiae Rhegitanae multa contra reverendissimum fratrem nostrum Bonifacium Episcopum suum, data Nobis petitione, conquestus est, petens ut ad Nos debuisset habere veniendi licentiam, quatenus causae ipsae hic subtiliter probarentur. Sed quia Nos interim

tione studeas exhibere, quatenus et Nos de sollicitudine tua laetifices, et Deum tibi facias esse placabilem. Hoc quoque Nobis de praedicto Presbytero nunciatum est, quod Victorianus presbyter ei cum diversis rebus vel ornamentis auctoritati suae pecuniam commendasset, qui dum depositum abnegaret, iudicio habito convictus est, et unde reddere debuisset addictus sit. Et quia, eo restituere id ad quod condemnatus est differente, is qui deposuisse dicitur obiit, et necessitate eius perhibentur filii laborare; et hoc experientia tua diligenter inquirat, atque ita, salva ratione, ad finem hanc causam perducat, dummodo, si ita est, nec ille res alienas perfida mente retineat, et orphani quod suum est, vel amisso patre, recipiant. – MIGNE, tom. LXXVII – (35).

XXXVI.

(ANNO 602)

Pro Ecclesiis vacantibus Taurianae, Turrium, et Consentiae.

Gregorius *Clero, Ordini et Plebi consistenti Taurianis, Turris et Consentiae.* — Vestri Antistitis obitum etc. Ut pro Ecclesia Crotonen. – MIGNE, tom. LXXVII – (36).

XXXVII.

(ANNO 602)

Pro visitatione et electione Episcoporum Taurianensis et Turritanae Ecclesiarum.

Gregorius *Venerio et Stephano Episcopis.* — Obitum Paulini etc. Ut pro Ecclesia Crotonen. – MIGNE, tom. LXXVII – (37).

XXXVIII.

(ANNO 602)

Pro quodam legato Ecclesiae S. Georgii Taurianae.

Gregorius *Sabino subdiacono.* — Latores praesentium Stopaulus atque Marcellus, liberti quondam Comitioli excubitoris, questi Nobis sunt, asserentes duas substantiae suae uncias, quas libertis suis idem dominus eorum per paginam testamenti sui legaverat, ab haerede filiaque ipsius Maria, uxore Pardi clerici,

vobis locis etc. Simul etiam *et Episcopum Bisinianensem, Malvictensem et Episcopum Consentiae*, cum omnibus parochiis et adiacentiis eorum, sicuti in vestro anteriori usu pallii continetur, et in Ecclesia S. Dei Genitricis Mariae et B. Matthaei Apost. et Evang., cuius sacratissimum Corpus possidetis, atque vobis vestrisque successoribus concessum etc. Datum octavo kal. Aprilis, per manum Gregorii Ep. Portuensis et S. Sedis Apost. Bibliothecarii, Pontificatus Ioannis PP. XV anno octavo. – MIGNE, tom. CXXXVII – (39).

XL.

S. GREGORIUS PP. VII.

(ANNO 1080)

Contra Wilbertum antipapam.

Gregorius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis in Christo fratribus et coëpiscopis per Principatus et Apuliam et Calabriam constitutis, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Fraternitatem vestram credimus non latere, quod plures Satanae discipuli qui falso nomine per diversas regiones censentur Episcopi, diabolica inflammati superbia, Sanctam Romanam Ecclesiam conati sunt confundere; sed per auxilium omnipotentis Dei et auctoritatem B. Petri iniqua eorum praesumptio sicut eis verecundiam et confusionem, ita Apostolicae Sedi gloriam contulit et exultationem. Siquidem a minimo usque ad maximum, videlicet Henricum Regem, qui vertex et auctor pestiferi consilii fuisse probatur per plurima corporum et animarum pericula, persensit quantas B. Petri auctoritas ad ulciscendum eorum iniquitatem vires obtineat. Scitis enim quid tempore domini nostri Papae Alexandri, quid idem Henricus iniuriae Ecclesiae B. Petri per cadulas inferre excogitaverit, et in quantam quamque turpissimam mundo teste confusionis foveam cum eadem cadula cadere meruit, et quanto honore quantisque triumphis in exercitatione illius certaminis nostra profecerit. Scitis etiam quam detestandis conspirationibus ante annos tres praecipue Longobardorum episcopi se adversum Nos eodem Henrico principante armaverunt,

et quod per defensionem B. Petri illaesi et incolumes non sine magna Nostra nostrorumque fidelium honoris exaltatione remansimus. Illis vero priorem arbitrantibus non sufficere sibi confusionem, a planta pedis usque ad verticem Apostolicae ultionis quantum feruerit gladius adhuc plaga incurabilis praestat indicium. Sed in his omnibus obduratas meretricum more frontes gerentes, et impudentia sua iram sibi iusti iudicii thesaurizantes, qui respectu contumeliae suae ad sensum redire debuerant, patrem suum sequuti qui dixit: *Ponam sedem meam ab aquilone, et ero similis Altissimo* (Isaiae XIV) pristinam conspirationem adversus Dominum et sanctam universalem Ecclesiam conati sunt innovare, et hominem sacrilegum et sanctae Romanae Ecclesiae periurum necnon per universum orbem nefandissimis sceleribus denotatum, Wilberti dicimus sanctae Ravennatis Ecclesiae devastatorem antichristum sibi et haeresiarcham constituere. In quo nimirum Satanae conventu illi interfuere, quorum est vita detestabilis et ordinatio haeretica, immensitate multimodi criminis. Siquidem ad hanc insaniam illa demum eos desperatio traxit, quod neque precibus, neque servitiorum aut munerum promissionibus scelerum suorum veniam apud Nos valuerint impetrare, nisi forte vellent iudicio ecclesiastico nostraeque censurae se mediante misericordia sicut decet officium nostrum submittere. Hos itaque nullis rationibus fultos, imo omnium criminum conscientia perditissimos, tanto magis vilipendimus quanto ipsi se altiora conscendisse confidunt. Per misericordiam quippe Dei et orationem B. Petri, quae Simonem magum, eorum utique magistrum, ad altiora tendentem mirabiliter deiecit, speramus ruinam eorum non diu remoraturam et quietem sanctae Ecclesiae, victis et confusis hostibus suis, more solito gloriosissime dilatandam. Vos itaque, dilectissimi fratres, innocentiam communis Matris vestrae Sanctae Romanae Ecclesiae perpendentes, et quantum diabolum membra sua ad inferendam praefatae Romanae Ecclesiae inquietudinem exerceat considerantes, sicut decet et officii vestri debitum exigit, orationibus aliisque modis quibus laboranti Matri succurrendum est, operam studiumque impendite: quatenus appareat vos legitimos eius filios esse, ipsiusque contumeliam partita nobiscum laboris diligentia ex corde sentire. Quod si fueritis socii com-

passionis, eritis auxiliante Deo laetitiae participes et consolationís. Coetera, quae non inseruimus, legatis nostris quibus sicut nobis credere potestis referenda commisimus. Datum Ceccani, decimo secundo kal. Augusti. – Ex ARCHIVO VATIC. – (40).

XLI.

(ANNO 1080)

Ut subveniatur Michaëli Imperatori iniuste deiecto.

Gregorius Episcopus, *Servus servorum Dei*, *fratribus et coëpiscopis in Apulia et Calabria commorantibus, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Notum esse prudentiae vestrae non dubitamus, gloriosissimum Imperatorem Constantinopolitanum Michaëlem videlicet ab imperialis excellentiae culmine indigne potius et malitiose quam iuste aut rationabiliter esse deiectum, qui auxilium B. Petri necnon filii Nostri gloriosissimi Ducis Roberti flagitaturus Italiam petiit. Quapropter Nos licet indigni, Sedis ipsius curam gerentes, compassionis visceribus moti praecibus illis necnon eiusdem Ducis, annuendum esse censuimus, et a fidelibus beati Petri subveniendum sibi fore putavimus. Igitur quia inter coetera multimoda suffragia istud non minus profuturum memorati Principes existimant, scilicet, ut milites auxiliatores recta fide non dissimilibus animis ire constanter in adiutorium et defensionem praefati Imperatoris debeant, Apostolica auctoritate praecipimus; quatenus illi, qui militiam ipsius intrare statuerint, in contrariam partem proditoria tergiversatione transire non audeant; verum, quod Christianae Religionis honor et debitum postulat, ei praesidium fideliter impendant. Dilectioni quoque vestrae nihilominus praecipiendo mandamus, ut eos qui cum eodem Duce et praedicto Imperatore transfretaturi sunt, diligentissime, ut vestrum officium exigit, moneatis condignam poenitentiam agere, et rectam fidem sicut decet Christianos circa illos servare, in omnibus actibus suis timorem Dei et amorem prae oculis habere et in bonis operibus perseverare. Sicque illos fulti Nostra auctoritate, imo B. Petri potestate a peccatis absolvite. Datum octavo kal. Augusti. – Ex ARCHIVO VATIC. – (41).

XLII.

(ANNO 1081)

Utrum consecratio Episcopi Meletensis pertineat ad Archiepiscopum Rheginum.

Gregorius Episcopus, *Servus Servorum Dei, Rogerio nobili Comiti salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Non dubitet prudentia tua Nos libenter petitioni tuae favere, in quantum cum Deo et sine fratrum nostrorum scandalo fieri potest; non est enim aliqua saecularis apicis persona, cui, salva iustitia, pronius assensum Nostrum praebere velimus. De eo autem quod super electo Miletensi postulasti, noverit nobilitas tua Nobis esse intimatum ad ius Ecclesiae Rhegitanae pertinere. Unde non aliter annuendum postulationi tuae perpendimus, nisi, diligenter examinata iustitia, Miletensem Ecclesiam ad praefatae Rhegitanae parochiae consecrationem non attinere constiterit. Ad cuius rei indagationem, quia te diligimus, sine temporum molesta dilatione copiam tibi providimus, videlicet ut accersitis fratribus nostris Barensi Archiepiscopo et Firmano Episcopo et Legato nostro W...., si fieri potest cum his tribus, alioquin vel horum duobus praesentibus, causa in communi discutiatur. Si ergo causa solerter eventilata ab illius potestate inventa fuerit libera; tunc Nos, sicut oportebit, effectum dare precibus tuis non pigritabimus. Sin autem, decet atque necesse est, ut sic tua devotio in iis praecipue, quae Dei sunt, sese aequaliter habeat; quatenus fraternae caritatis et concordiae vinculum rumpere, et dilectionis unitatem in invicem scindere caveat, in mente habens quod scriptum est: *Si recte offeras, et recte non dividas, peccasti.* De caetero quia Trainensem Electum a Nobis consecrari postulas, licet electioni eius hoc defuerit, quod Legatus Apostolicae Sedis et consensus Noster non adfuit; tamen monentes, ne de futuro id fiat, tuae dilectioni ipsiusque personae laudabili testimonio id ad praesens annuimus, ut veniens, Deo favente, per Nos consecretur. – Ex ARCHIVO VATIC. – (42).

XLIII.

(ANNO 1081)

Episcopatus Miletensis constituitur, Rogerio glorioso Calabriae et Siciliae Comite rogante.

Gregorius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Arnulpho Miletensi Episcopo suisque Successoribus.* — Supernae miserationis respectu ad hoc universalis Ecclesiae curam suscepimus et Apostolici moderaminis sollicitudinem gerimus, ut dignis postulantium votis attenta benignitate faveamus; et ea quae Apostolica auctoritate roborari iuste desiderant, decreti nostri iudicio perpetua stabilitate fulciantur. Proinde quoniam Vibonensis Ecclesia, peccatis id merentibus, populari frequentia desolata, quae cum Sedes Episcopalis fuerat, et propter solitudinem episcopatus nomine insigniri incongruum et satis indecens videbatur, filio nostro Rogerio glorioso Comite rogante religiosisque viris suggerentibus, ab ea in Miletensem Ecclesiam sedis transmigrationem fieri concessimus, et te Pontificem per gratiam Dei constituentes consecravimus. Addentes etiam, ad tutiorem tuae Ecclesiae dignitatem, ut sicut tu a Nobis, ita tui Successores a Romano Pontifice semper debeant ordinari. Ad perpetuam ergo huius videlicet Miletensis Ecclesiae stabilitatem, atque ad confirmandam Episcopalis Sedis in ea dignitatem, ab illius scilicet Vibonensis subiectione; quam hactenus debuit liberam esse in reliquum adiudicamus, cunctaque, quae illi in ecclesiastico regimine vel honore sive iustitia pertinere visa sunt, huic conferentes in perpetuum sibi servanda praesentis privilegii decreto censuimus atque statuimus. Praeterea, tua fraternitate petente, quatenus res tui Episcopatus noviter constituti Apostolicae defensionis munimine a quorumlibet audacium perturbatione sint tutae, Apostolica iurisdictione prohibentes, praecipimus nullum Regum, vel Imperatorum, Antistitum nullum, quacumque dignitate praeditum, vel quemquam alium audere de his quae eidem venerabili loco de bonis illi priori Ecclesiae pertinentibus obvenere, seu ex his quae postmodum a praedicto filio Rogerio, vel a quibuslibet hominibus de proprio iure donata sunt, vel in

futurum Deo miserante conferantur, sub cuiuslibet causae occasionisque specie minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quibuslibet de causis pro suae avaritiae excusatione concedere, sed cuncta quomodolibet oblata sunt, vel offerri contigerit tam a te, quam ab eis qui in tuo officio locoque successerint, perenni tempore illibata et sine inquietudine aliqua volumus possideri, eorum quidem usibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt modis omnibus profutura. Si quis vero Regum, Sacerdotum, Clericorum, Iudicum ac saecularium personarum hanc Constitutionis nostrae paginam agnoscens, contra eam temerario ausu venire tentaverit, admonitus semel, et iterum usque tertium per convenientes inducias, si non resipuerit, atque praedictae Ecclesiae non satisfecerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et nisi ea quae, ab illo sunt male ablata, restituerit, vel digna poenitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei Domini nostri Iesu Christi alienus fiat, atque in aeterno examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. *Miserationes tuae, Domine, super omnia opera tua.* Datum Lateranen. pridie nonas Februarii, per manus Petri S. R. E. Presb. Card. ac Bibliothecarii, anno octavo. Gregorii PP. VII indictione quarta. – IAM IN ARCHIVO ECCLESIAE MILETENSIS – (43).

XLIV.

B. URBANUS PP. II.

(ANNO 1092)

Miletensis Ecclesiae iura confirmans, ut Taurianensis eidem subiecta deinceps permaneat decernit, poenis comminatis.

Urbanus Episcopus, *Servus servorum Dei, carissimo fratri Gaufrido Miletensi Episcopo suisque Successoribus canonice promovendis in perpetuum.* — Potestatem ligandi atque solvendi in

Coelis, et in terra B. Petro eiusque Successoribus auctore Deo principaliter traditam, illis Ecclesia verbis agnoscit, quibus Petrum est Dominus allocutus: *Quaecumque ligaveris super terram erunt ligata et in coelis; et quaecumque solveris super terram erunt soluta et in coelis.* Ipsi quoque et propriae firmitatis et alienae fidei confirmatio eodem Deo auctore praestatur, cum ad eum dicitur: *Rogavi pro te ut non deficiat fides tua, Petre; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (Lucae XXII). Oportet ergo Nos, qui licet indigni, disponente Deo, Petri residemus in loco, prout ipse et scire et posse dedit, prava corrigere et recta firmare; et in omni Ecclesia ad aeterni arbitrium Iudicis sic disponenda disponere, ut de vultu eius iudicium nostrum prodeat, et oculi nostri videant aequitatem. Tuis igitur, dilectissime frater Gaufride, iustis petitionibus annuentes, et Praedecessoris nostri sanctae memoriae Gregorii PP. VII statuta recte firmantes, praesentis paginae auctoritate decernimus, ut Miletensis Ecclesia sub iure Apostolicae Sedis specialiter perseveret, omnesque successores tui, quemadmodum tu, et praedecessores tui, per manus Romani Pontificis consecrentur. Auctoritate etiam Apostolica confirmamus, ut Vibonensis Ecclesia in Miletensem translata, sicut praedicti Praedecessoris Nostri privilegio decretum est, maneat in perpetuum. Addentes etiam ut Taurianensis Ecclesia, quae peccatis accolarum exigentibus desolata est, in dioecesim Miletensem cedat, et Miletensi deinceps Episcopo subiecta permaneat, ut una utriusque Vibonensis scilicet, et Taurianensis Ecclesiae dioecesis habeatur, et deinceps Miletensis vocabulo nuncupetur. Constituimus ergo, et Auctoritate Apostolica praecipimus, ne ulli omnino hominum liceat eamdem Miletensem Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones invadere, minuere et auferre, vel temerariis vexationibus fatigare; sed universa, quae auctoritate Nostra hodie, vel Principum liberalitate et oblatione fidelium possidet, seu in futurum Domino iuvante poterit adipisci, firma tibi tuisque Successoribus et illibata permaneant; praesertim quae ad Vibonensem ac Taurianensem Ecclesiam sive in possessione, sive in regimine iuste visa sunt pertinere. Sane si quis in crastinum Archiepiscopus aut Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vice Comes, aut persona quae-

libet magna vel parva huius nostrae Constitutionis non inscia contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua emendaverit, a Christi et Ecclesiae corpore eum auctoritate potestatis Apostolicae segregamus. Conservantibus autem, pax a Deo et misericordia praesentibus et futuris saeculis conservetur. Datum apud oppidum Caiatiae per manus Ioannis S. R. E. Diaconi Card. quinto nonas Octobris, indictione secunda, anno Dom. Incarn. millesimo nonagesimo secundo, Pontificatus autem Dñi Papae Urbani II quarto. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Iesu Christi. Amen. – Iam in ARCHIVO ECCLESIAE MILETENSIS – (44).

XLV.

(ANNO 1093)

Asserit locum a Rogerio Comite concessum et ab Episcopo Scyllacino confirmatum, atque privilegia tribuit.

Urbanus Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis in Christo filiis Brunoni et Lanuino, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Piae voluntatis affectus studio debet prosequente compleri. Quia igitur nostri officii interest, servorum Dei quieti, prout Dominus posse dederit, providere, petitionibus vestris, filii in Christo charissimi ac reverendissimi, clementer annuimus. Per huius ergo Apostolici Privilegii paginam, Apostolica auctoritate statuimus, ut locus ille, quem habitationi vestrae disponente Domino elegistis, a iugo, potestate, iniuria, ac molestia omnium hominum libere cum tota sylva et monte, terra, aqua in spatio unius leucae in omni parte adiacente in vestra omnimoda et Successorum vestrorum dispositione permaneat, sicut vobis a dilecto nostro filio Rogerio Comite condonatus est, et a confratre nostro Theodoro Scyllacino Episcopo confirmatus, neminiin tra partium spatium liceat pascuae, agriculturae, seu piscationis aut lignorum occasione, aut quacumque ex causa, vobis aut vestris successoribus iniuriam aut molestiam irrogare; sed totum secundum voluntatem vestram possideatis, disponatis, ordinetis et erogetis. Si quid praeterea Episcopalis officii indigueritis, ad quem potis-

simum vicinorum Antistitum volueritis recurrendi praesenti decreto liberam licentiam indulgemus. Decimarum quoque usum, ex vestris vel puerorum vestrorum laboribus vestri iuris esse censemus; quod si qua puerorum vestrorum laboribus offensa contigerit, in vestra tantum manu omnis eorum correctio maneat; nec ullus se de his quae ad vos pertineat, sine vestra voluntate occasione aliqua intromittat. Quatenus omnipotentis Dei speculationi liberis mentibus insistatis, et ad eius faciei dulcedinem, ipso praestante, pervenire valeatis. Sane, si quis in posterum Archiepiscopus, Episcopus, Imperator aut Rex, Princeps aut Dux, Comes aut Vicecomes, Iudex aut persona quaelibet potens aut impotens huius nostri Privilegii paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonitus, si non satisfactione congrua se emendaverit, eum honoris sui et officii periculo subiacere decernimus, et a Christi atque Ecclesiae corpore, auctoritate potestatis Apostolicae segregamus. Conservantibus autem, pax a Deo et misericordia praesentibus ac futuris saeculis conserventur. Amen. Datum per manum Ioannis S. Rom. Ecclesiae Diaconi Cardinalis, pridie idus Octobris, indictione prima, anno Dom. Incarn. millesimo nonagesimo secundo, Pontificatus autem Urbani Papae II quarto. – TROMBY, *Storia critico-diplomatica del Patriarca S. Brunone e dell'Ordine Cartusiano*, tom. II – (45).

XLVI.

(ANNO 1097)

Coenobio Cassinensi, universorum per occidentem Monasteriorum Capiti, assignat Monasteria S. M. civ. Consentiae atque Citrarii, nec non Cellas S. Anastasiae, S. Nicolai in Salectano, S. M. in Tropaea et S. Euphemiae de Marchia, omnes in Calabria.

Urbanus Episcopus, *Servus servorum Dei, reverendissimo et carissimo fratri Oderisio, nostris per Dei gratiam manibus et in Cardinalem Sanctae Romanae Ecclesiae Sacerdotem et in Abbatem Cassinensis Monasterii consecrato, eiusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum.* — Praeter generale caritatis debitum, praeter singularem vestri Coenobii praerogativam, qua in Monasticae legis latione et latore sanctissimo Benedicto universorum per occidentem Monasterioruma caput a Domino insti-

carissimi filii in Christo et reverendissimi, clementer annuimus. Per huius igitur Apostolici Privilegii paginam, Apostolica auctoritate confirmamus donationem terrarum, quae vobis datae sunt in Squillacensi territorio, et conscriptae et terminatae et designatae per terminos certos a dilecto nostro filio Rogerio Comite, et Ioanne confratre nostro Squillacensi Episcopo concedente et confirmante: viva praeterea auctoritate tibi praecipimus, statuimus, et ea quae Nobis est a Deo concessa licentia interdicimus, ut ab hac die in antea, neque Comiti ipsi nec alicui haeredum suorum supradictam vestram donationem et hanc Nostram confirmationem violare vel decurtare in aliquo liceat; neque de iis, quae confirmamus aliqua se intromittat persona sine vestra voluntate, quatenus omnipotentis Dei speculationi mentibus liberis insistatis, et ad eius faciei dulcedinem, ipso praestante, pervenire valeatis. Si qua vero persona aut haeres Comitis ipsam violaverit, nisi ad condignam venerit satisfactionem, eum honoris et officii sui periculo subiacere decernimus, et a Christi et Ecclesiae corpore segregamus, atque extremo examine districtae subiaceat ultioni, sine intermissione et remedio. Conservantibus autem, pax a Deo et misericordia praesentibus ac futuris saeculis conservetur. Amen. Si vero tam legaliter Comes aut alius haeres addere aliquid huic voluerit donationi, sub hac Nostra confirmatione ratum esse statuimus. Datum Salerni, mense Septembri, indictione sexta, anno ab Incarn. Dom. millesimo nonagesimo octavo. Ego Raynerius Card. subscripsi. – Ego Ioannes Card. subscripsi. – Ego Archiepiscopus subscripsi. – Ego Amatus Capellanus et Sacerdos subscripsi. – Ego Dominicus Capellanus subscripsi. – Ego Constantius Caiacensis Episcopus subscripsi. — UGHELLI, *Italia Sacra*, tom. IX – (47).

sint artis vel negotii vel marinarii, quos idem Comes, paulo ante obitus sui diem, loco vestro per chyrographum obtulisse cognoscitur. Decimarum quoque usum ex vestris vel puerorum vestrorum laboribus vestri iuris esse censemus et si qua puerorum vestrorum offensa contigerit, in vestra tantum manu eorum omnis correctio maneat. Nec ullus se de his, quae ad vos pertinent, sine vestra voluntate occasione aliqua intromittat. Quatenus omnipotentis Dei speculationi liberis mentibus insistatis, et ad eius faciei dulcedinem ipso praestante pervenire valeatis. Si quae sane Ecclesiastica, saecularisve persona hanc nostrae Constitutionis paginam, sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat; namque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. – Ego PASCHALIS *Catholicae Ecclesiae Episcopus*. – Datum apud oppidum Mileti, per manum Ioannis sanctae Romanae Ecclesiae Diaconum Cardinalem, VI kal. Augusti, indict. nona, Incarn. Dom. anno millesimo centesimo secundo, Pontificatus autem dom. Paschalis PP. II anno tertio. – TROMBY, tom. II – (48).

XLIX.

(ANNO 1102)

Hortatur ut S. Brunonis virtutes emulentur; et Magistrum Eremi ad se venire desiderat.

Paschalis Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Lanuino, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Quod magnopere desideravimus, Domino propitiante, peractum est; redeunte siquidem fratre reverendo Albano Episcopo, pacem et concordiam Eremi reformatam, et te in locum sanctae memoriae Magistri Brunonis successisse cognovimus. Sit ergo in te eius-

LI.

(ANNO 1104)

De Ugonis Episcopi Miletensis promotione, et Abbatis S. Iuliani expulsione.

Paschalis Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Lanuino, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — De fratris Hugonis promotione et Abbatis S. Iuliani expulsione Nos admodum gaudere cognoscas, quia nunc omnipotens Deus Monasterio S. Euphemiae, iam per biennium Abbatis solatio destituto, providit et illum ab ipsius loci occupatione removit. Stude ergo, fili, ut iuxta Beati Benedicti regulam in B. Iuliani Coenobio Abbas eligatur, quem ad Nos conservandum largiente Domino destinabis. Etsi enim fratres nostri clamaverint, Nos tantum quae iuris sunt B. Petri minime patiemur imminui. Fratres tuos Eremi cohabitatores in Domino salutamus: ut in charitate permaneant, modis omnibus cohortamur. Nos ipsos tuis et illorum orationibus attentius commendamus. De rebus B. Petri ita studeas, sicut expedire cognoscis. – TROMBY, tom. III. - (51).

LII.

(ANNO 1110)

Pro Monasterio S. Iuliani et Episcopo Messanensi.

Paschalis Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Lanuino salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Quae pro Monasterio S. Iuliani nuper scripsimus, eidem fraternitati tuae scribimus, ut experientia tua omnino studeat, idoneam illic personam eligere, quatenus diutina illius loci destitutio, adiuvante Domino, iam possit relevari. Messanensis Episcopi causae, cum ipse autem venerit, canonica fine claudentur. Fratres, qui tibi sunt divina dispositione commissi, caute et sollicite custodi, ut mercedem tuam pro ipsis a Domino recipere merearis. Omnipotens Dominus ab insidiis visibilium et invisibilium hostium vos defendat, et ad vitam pariter perducat aeternam. Fratres tuos ex parte Nostra saluta. - HARTTUNG, *Acta Rom. Pontif. inedita*, tom. II. - (52).

in futurum liberalitate Principum vel oblatione fidelium iuste atque canonice poterit adipisci, illibatum ipsi perpetua stabilitate servetur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat eamdem Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnino integra conserventur eorum, pro quorum substentatione et gubernatione concessa sunt usibus omnimodis profutura. Si qua sane ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita satisfactione integra non emendaverit, honoris sui dignitate careat, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Redemptoris nostri Iesu Christi aliena sit, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiae iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Datum Laterani per manum Ioannis S. R. E. Diac. Cardinalis ac Bibliothecarii, nonis Aprilis, Indict. tertia, Incarn. Dom. anno millesimo centesimo decimo, Pontificatus autem Domini Paschalis II Papae anno decimosecundo. – UGHELLI, tom. IX. – (53).

LIV.

(ANNO 1113)

Pro Eremo S. M. de Turre, data Lanuino facultate pro Anachoritis et peregrinis.

Paschalis Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto in Christo fratri Lanuino, Magistro Eremi, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Peccatis nostris exigentibus ad id tempora devenerunt, ut mala quaelibet iam gratis ex licentia committantur, undique iniquitates insurgant, et persecutiones interius et exterius oriantur et laici Ecclesiarum bona dividere et in ipsas personas ecclesiasticas manus extendere non vereantur, quibus in pastorum specula constituti obviare compellimur; et tantis sacrilegiis et rapinis novum cogimur remedium adhibere. Si quis igitur laicus, quae ad Eremum vestrum legitime pertinere noscuntur, rapere

LVI.

(ANNO 1116).

Mandat ut inter Episcopum Miletensem et Monochos S. Angeli fiat compositio.

Paschalis Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Lanuino, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Religionis tuae sinceritas et ministerii sollicitudo, quam in Monasteriorum et Ecclesiarum reparationem exerces, plurimum ad dilectionem tuam impellunt, et magnas omnipotenti Deo gratias agere faciunt. Unde super religione tua congaudentes, et de tuo multum fervore, fili carissime, confidentes, hortamur et praecipimus, ut nostri iuris Monasteria, quae circa te sunt, sollicite requiras (ex ministeriis sollicitudo firmat); et quae illic adversus monasticae regulae disciplinam praerupta sunt, cum omni descriptione et moderamine studeas emendare, et eos qui hactenus pravis sunt moribus conversati coërcere non negligas. Praecipimus autem, ut Fratrem nostrum Mileten. Episcopum adeas, eumque super querela, quam gerit adversus Monachos S. Angeli, fraterne convenias; et si pacem inter eos concordiamque componere nequiveris, opportuno tempore, utraque pars ad Nostrum destinatur examen, non enim ignoramus, eum clericorum suorum instigationibus, ad hoc proruppisse, ut B. Petri bona tot infestationibus laceraret; sed Nos profecto in tales instigatores, nisi defecerint, gladium B. Petri exercebimus, et Nos ipsos ulciscemur. - TROMBY, tom. III. - (56).

LVII.

CALLIXTUS PP. II.

(ANNO 1120)

Eremi supra dicti libertatem, possessiones et privilegia confirmat.

Callixtus Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto in Christo filio Lamberto Priori Eremi eiusque Fratribus tam praesentibus, quam futuris in perpetuum, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Praeceptum Domini habemus: *Intrate per angustam*

obtulisse agnoscitur. Decimarum quoque usum, ex vestris vel villanorum vestrorum laboribus, vestri iuris esse censemus; et si qua rusticorum vestrorum offensa contigerit, in vestra tantum manu eorum omnis correctio maneat. Nec ullus se de his, quae ad vos pertinent, sine vestra voluntate, occasione aliqua intromittat; quatenus omnipotentis Dei speculationi liberis mentibus insistatis, et ad eius faciei dulcedinem, ipso praestante, pervenire valeatis. Ad haec adiicientes decernimus, ut nulli omnino hominum liceat, locum vestrum temere perturbare, aut eius possessiones ubilibet positas auferre, vel ablatas retinere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia, quae vel a praedicto Rogerio Comite, aut a nobilis memoriae duce Rogerio, vel ab aliis fidelibus de iure proprio data sunt, aut in futurum largiente Domino dari, aut offerri contigerit, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. Si qua sane ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae Constitutionis paginam sciens, contra eam venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non satisfactione congrua emendaverit, potestatis honorisve sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iusta servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae retributionis inveniat. Amen. – *Ego Callixtus Catholicae Ecclesiae Episcopus*. – Ego Petrus Portuensis Ecclesiae Episcopus. – Ego Robertus Card. Presbyter Tit. S. Sabinae. – Ego Ioannes tit. S. Chrysogoni Presbyter Card. – Ego Odald. Presbyter Card. tit. S. Balbinae. – Ego Gregorius Diac. Card. S. Angeli. Datum Capuae per manum Crhysogoni S. R. E. Diaconi Card. ac Bibliothecarii, kal. Decembris, indict. decimaquarta, Incarn. Dom. anno millesimo centesimo vigesimo, Pontificatus autem Domini Callixti II Papae anno secundo. – TROMBY, tom. III. – (57).

divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem mandata Ecclesiae iusta servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus, et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. – *Ego Callixtus Catholicae Ecclesiae Episcopus.* – Firmamentum est Dominus timentibus eum. Datum Beneventi per manum Chrysogoni S. R. E. Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, decimo kal. Ianuarii, indictione decima quinta, Incarn. Dom. anno millesimo centesimo vicesimo secundo, Pontificatus autem Dñi Callixti II anno tertio. – UGHELLI, tom. IX. – (58).

LIX.

INNOCENTIUS PP. II.

(ANNO 1140)

Pro Ecclesia S. Mariae de Turre.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Andreae magistro et dispensatori Ecclesiae S. Mariae de Turre, eiusque Fratribus tam praesentibus quam futuris in perpetuum.* — Licet ex iniuncto Nobis a Deo Apostolatus officio debitores omnibus fidelibus tam vicinis quam longe positis existamus; illis tamen propensiori cura Nos convenit providere, quos pro morum honestate ac Religionis nitore, omnipotenti Domino arctius adhaerere cognoscimus. Nec dubium quod si Religiosorum precibus paterna benignitate annuimus, nostris opportunitatibus clementem Dominum reperimus. Hoc nimirum intuitu, dilecti in Domino Filii, postulationes vestras clementer admittimus, et Ecclesiam S. Mariae de Turre, in qua divino vacatis servitio ad exemplar praedecessorum Urbani, Paschalis atque Callixti sanctae memoriae Pontificum Romanorum, Apostolicae Sedis privilegio communimus. Statuentes ut idem venerabilis locus, in quo ad Dei obsequium

iudicio de perpetrata iniquitate existere cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei ac Domini nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iura servantibus sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. – *Ego Innocentius Catholicae Ecclesiae Episcopus.* – Ego Albericus Hostiensis Episcopus. – Ego Gerardus Presb. Card. tit. S. Crucis in Hierusalem. – Ego Anselmus Presb. Card. S. Laurentii in Lucina. – Ego Lucas Presb. Card. SS. Ioannis et Pauli. – Ego Chrysogonus Presb. Card. S. Praxedis. – Ego Presb. Card. S. Laurentii in Damaso. – Ego Archidiaconus Cardinalis ad Velum S. Georgii Aureum. – Ego Guido Diaconus Card. SS. Cosmae et Damiani etc. Datum Laterani per manum Aymerici S. R. Eccl. Diaconi Cardinalis et Cancellarii, quinto idus Ianuarii, Indict. tertia, Incarn. Dom. anno millesimo centesimo quadragesimo, Pontificatus vero Innocentii PP. II anno decimo. – TROMBY, tom. IV. – (59).

LX.

(ANNO 1140)

Iura et possessiones Monasterii Vallis Iosaphat confirmat.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Guidoni, Abbati Vallis Iosaphat, eiusque Fratribus regularem vitam professis in perpetuum.* — Possessiones et bona ecclesiastica patrimonia pauperum sunt et pretia peccatorum; et ideo a nullo debent distrahi sive occupari, sed ad usus, ad quos destinata sunt, illibata servari. Quia ergo ex iniuncto Nobis a Deo officio incumbit Ecclesias cum suis pertinentiis defensare, utilitati vestrae in posterum providentes, Monasterium B. Mariae de Valle Iosaphat, in quo estis divino officio mancipati, ob reverentiam ipsius Virginis sub beati Petri apostolorum Principis, tutela et nostra defensione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona, quascumque libertates et immunitates ex conces-

sione bonae memoriae Rogerii, illustris comitis Siciliae et Calabriae, et Baronum suorum, scilicet Henrici domini Paternionis, Eleazar, Militis, clari domini Galati, Ronfredi de Nas, Renaldi de Tyrone, Roberti de Milite, Rogerii et Guillelmi ducum Apuliae, Umfredi de Bibum domini Fuscaldi, Drogonis domini Montis Alti, Radulfi Maledocti, Alberedo uxoris, Rogerii de Pumeria quondam domini Policorii, Boemundi Antiocheni Principis, et Boemundi filii eius, et Constantiae Philippi regis Francorum filiae, uxoris principis praenotati, nec non et ex concessione facta ab Arnulfo, Consentino Archiepiscopo, Ecclesiis vestris, sitis in parochia sua, scilicet habendi coemeteria, baptismata, concessiones et decimas hominum Ecclesiarum vestrarum pro commutatione, quarum de assensu Nostro concessistis perpetualiter et libere Ecclesiae Consentinae Ecclesiam vestram S. Ioannis Evangelistae, sitam infra diruta moenia montis Cini, cum parochia et possessionibus suis, et ex concessione praedicti comitis Rogerii Ecclesiam S. Mariae Magdalenae extra muros Messanae, cui Goffredus, Traynensis et Messanensis Episcopus, concessit libertatem habendi coemeterium, baptisma, confessiones et oblationes vivorum et defunctorum et intrandi et exeundi cum cruce, thuribulis et cereis ad processionem mortuorum, et ex concessione Ansgerii, Cathaniensis Episcopi, et confirmatione Mauritii, Episcopi eiusdem civitatis, successoris sui, libertatem habendi coemeteria, baptismata, concessiones, oblationes Ecclesiarum vestrarum S. M. Matris Domini, et S. Mariae Magdalenae, sitarum in Paternione, et ex concessione aliorum fidelium idem Monasterium in praesentiarum iuste et legitime possidet, et specialiter omnes confirmationes eidem Monasterio facto ab illustrissimo viro Rogerio, inclito Rege Siciliae memoriae recolendae, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, et oblatione fidelium seu aliis iustis modis, Deo propitio, poterunt adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. Interdicimus etiam, ne aliquis Episcopus vel Archiepiscopus seu ministri eorum exigant decimas vel coenas seu prandia ab obedientiis vestris, ne servorum Dei quies huiusmodi occasionibus perturbetur. Praeterea statuimus, ut a quocumque catholico Episcopo malueritis, Chrisma, oleum sanctum accipiatis, nec non et ordinationes Monachorum et cleri-

corum vestrorum et consecrationes altarium et basilicarum vestrarum. Unum tamen volumus, ut secundum pactum, firmatum inter vos et Ecclesiam Consentinam, teneamini singulis annis dare eidem ecclesiae duas comestiones, unam apud S. Vincentium et alteram in S. Michaële de Fuscaldo, pro quibus praedicta Ecclesia Consentina tenetur dare Ecclesiis vestris suae dioecesis Chrisma, Oleum sanctum et pressuras infantium, et matrimoniorum divortia iudicare. Item interdicimus et in perpetuum sancimus, quod a nullo Archiepiscoporum vel Episcoporum totius Regni Siciliae, in quorum dioecesibus obedientiae Iosaphat sitae sunt, procurationes, visitationes aut aliae subiectiones exigantur, sed ab omnibus exactionibus perpetualiter sint exemptae. Porro sepulturas vestrorum locorum semper liberas esse decernimus, ut eorum, qui se illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte sint excommunicati, nullus obsistat. Liceat etiam vobis, per civitates et vicos in processione cum clericis vestris intrare et exire libere ad exequias defunctorum; nec alicui Regni Siciliae liceat, ecclesias vestras interdicto subiacere: vero si aliquo excessu interdictum commune in aliis ab aliqua ecclesia Regni Siciliae processerit, clausis ianuis et exclusis excommunicatis et interdictis, divina officia celebrare vobis Sedis Apostolicae auctoritate concedimus. Mortuorum autem parochianorum eleemosynas, de quibus parochialis Ecclesia suam iustitiam habuerit, quiete ac praeter alicuius molestiam a vobis haberi et accipi sancimus. Nulli ergo omnino hominum liceat vestrum Monasterium vel Obedientias suas perturbare, aut earum possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet molestiis fatigare. Si qua igitur in futurum ecclesiastica saecularisve persona contra hanc nostrae Constitutionis paginam sciens temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sanctissimo Corpore et Sanguine Dei et Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud distri-

ctum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. *Ego Innocentius Catholicae Ecclesiae Episcopus.* – Ego Conradus Sabinensis Episcopus. – Ego Teodevinus S. Rufinae Episcopus. – Ego Albertus Albanensis Episcopus. – Ego Albericus Hostiensis Episcopus. – Ego Anselmus Presb. Cardinalis tit. S. Laurentii in Lucina. – Ego Litafredus Cardinalis tit. Vestinae. – Ego Guido S. R. Ecclesiae indignus Sacerdos. – Ego Chrysogonus Presb. Cardinalis tit. S. Praxedis. – Ego Ivo Presb. Cardinalis S. Laurentii in Damaso. – Ego Gregorius Presb. Cardinalis tit. Callixti. – Ego Petrus tit. Pastoris Cardinalis Presb. – Ego Goizo Presb. Cardinalis tit. S. Caeciliae. – Ego Gregorius Diaconus Card. SS. Sergii et Bacchi. – Ego Oto Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum Aureum. – Ego Vassallus Diac. Card. S. Eustachii iuxta templum Agrippae. Datum Viterbii, per manus Aymerici, S. Rom. Ecclesiae Diaconi Card. et Cancellarii, xv kal. Iunii. Indictione tertia, Incarnationis Dominicae anno millesimo centesimo quadragesimo primo, Pontificatus vero domini Innocentii II Papae anno undecimo. – HARTTUNG, tom. II. – (60).

LXI.

(ANNO 1140)

Alia praescribit pro eodem Monasterio, possessionibus et bonis eius confirmatis.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Guidoni, Abbati venerabilis Monasterii B. Mariae de Valle Iosaphat, eiusque Successoribus regulariter substituendis in perpetuum.* — Quoniam Reginam Coelorum, Matrem Dei et hominis, portam coeli, ianuam Paradisi, quam laudant Angeli, venerantur Archangeli, beatam Dei Genitricem semperque Virginem Mariam, affectione pia diligimus, et apud Filium eius patrocinium ipsius obtinere speramus, dignum est ut gloriosi Sepulchri ipsius venerabilem locum pia devotione veneremur, et fratres ibidem Domino servientes sub Apostolicae Sedis gremio foveamus. Eapropter, dilecte in Domino fili Guido Abbas, tuis rationabilibus postulationibus clementer annuimus; et Monasterium de Valle Iosaphat, cui Deo auctore praeesse dignosceris, ob reverentiam gloriosae

Genitricis Dei semperque Virginis Mariae sub B. Petri et Nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. Statuentes, ut quascumque possessiones, quaecumque bona idem Monasterium in praesentiarum iuste ac legitime possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis Deo propitio poterit adipisci, firma tibi tuisque Successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: videlicet in Rossanensi parochia apud villam S. Mauri Ecclesiam B. Mariae, vestro sumptu aedificatam, cum possessionibus suis, quas egregiae memoriae dux Rogerius dedit. In eadem villa villanos omnes et haereditatem totam Richardi Senescalci, quam simul cum villanis ipsis vobis, eodem Duce consentiente, tradidit. Item apud eamdem villam haereditatem Hugonis de Claromonte, ab ipso datam et a supradicto Duce concessam, et nonnulla iugera campi, quae data sunt a Trostaino de Dumo; item in eadem villa rusticos quatuor cum possessionibus suis, sicut a Scifo Stratico vestro monasterio traditi sunt. In parochia Cassanensi Ecclesiam S. Laurentii et Ecclesiam S. Mariae de Cafro cum molendino uno et possessionibus suis, et Ecclesiam S. Theodori cum possessionibus suis. In parochia Consentina Ecclesiam S. Michaëlis de Fuscaldo et Ecclesiam S. Iohannis, et Ecclesiam S. Laurentii cum villanis et possessionibus suis, quos Unfredus de Fuscaldo dedit pro anima sua et parentum suorum, et molendinis duobus quae vestro sumptu parata eidem Ecclesiae addidistis. Similiter in eadem Parochia iuxta oppidum Montis Alti Ecclesiam S. Vincentii cum pertinentiis suis, videlicet Ecclesiam S. Luciae et S. Mariae de Fossis et S. Mariae de Bardia et S. Petri de Ferlito et S. Demetrii, et S. Petri de Renda et S. Veneris, et molendinis et terris et villanis cum pluribus ab ipsius terrae domino datis. Apud Medicinam ecclesiam S. Ioannis Evangelistae et SS. Trinitatis et S. Nicolai cum pertinentiis suis, item in eadem parochia prope Philinum ecclesiam S. Angeli cum Casali et villanis et possessionibus suis, a quodam nobili viro datis nomine Radulphus. Iuxta oppidum Marturanae capellam S. Stephani cum pertinentiis suis, iuxta quoddam castrum, quod vocatur Seminarium, Ecclesiam S. Theodori cum pertinentiis suis, et villanos quosdam

a Roberto de Melia datos. In parochia Anglonensi Ecclesiam S. Basilii cum terris et terrarum consuetudinibus, quas vobis Rogerius de Pomaria contradidit. Iuxta civitatem Tarentinam capellam S. Perpetuae cum pertinentiis suis: item Ecclesiam S. Mariae in Apulia in territorio Catulae cum pertinentiis suis. In parochia Cathanensi infra oppidum Paternonis Ecclesiam S. Mariae Matris Domini, ab Angerio Episcopo datam cum parochia, coemeterio, baptismate, aliamque ecclesiam S. Mariae Magdalenae cum hospitali, quae subtus castrum sita est, a Mauritio episcopo similiter concessam, et molendinum, villanos, terras et vineas, domos coeterasque possessiones ab Henrico Marchione datas. Prope Messanam civitatem Ecclesiam S. Mariae Magdalenae cum terris et vineis, coemeterio, confessione, a Goffredo, eiusdem civitatis Episcopo, concessis, qui eam consecravit; item in eadem parochia Ecclesiam S. Annae de Galath cum villanis, terris, vineis, ab Eleazar Milite traditis. In parochia Mazarensi Ecclesiam S. Mariae de Calatabameth cum villanis, terris, possessionibus quoque suis, a Rainaldo de Tirone datis. Apud castrum Sacci villanos quosdam, a Simone, filio Ducis, datos. Sane laborum vestrorum, quod propriis manibus aut sumptibus colitis, vel de nutrimentis animalium ab Episcopis sive Episcoporum ministris seu ab aliis ubilibet a vobis decimas exigi prohibemus. Interdicimus etiam, ne per alicuius sollemnitatis occasionem in Coenobio vestro coenam vel prandium a Ierosolimitanae Ecclesiae Episcopo vel clericis exigatur, ne servorum Dei quies huiusmodi occasionibus perturbetur. Reditus vero, qui de rusticorum infidelium censu vestro Monasterio constituti sunt, vel in futurum, praestante Domino, conferentur vobis, integros manere censemus. Porro sepulturam eiusdem loci liberam esse decernimus, ut eorum, qui illic sepeliri deliberaverint, devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati sint, nullus obsistat. Mortuorum autem parochianorum eleemosynas, de quibus parochialis Ecclesia suam iustitiam habuerit, quiete ac praeter alicuius molestias a vobis accipi et haberi sancimus. Laicos sane liberos seu clericos irregulariter viventes ad conversionem suscipere, nullius Episcopi vel praepositi seu cuiuslibet hominis contradictio vos inhibeat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat idem

Monasterium temere perturbare aut eius possessiones auferre vel ablatas retinere, minuere seu quibuslibet molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in posterum ecclesiastica saecularisve persona, hanc nostrae Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi, aliena fiat, atque in extremo examine districte subiaceat ultioni. Cunctis autem eidem venerabili loco sua iura servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. – *Ego Innocentius Catholicae Ecclesiae Episcopus*. – Ego Conradus Sabinensis Episcopus. – Ego Theodevinus S. Rufinae Episcopus. – Ego Albertus Albanensis Episcopus. – Ego Albericus Hostiensis Episcopus. – Ego Anselmus Presb. Cardinalis tit. S. Laurentii in Lucina. – Ego Littifredus Cardinalis tit. Vestinae. – Ego Guido S. Rom. Ecclesiae indignus Sacerdos. – Ego Chrysogonus Presbyter Cardinalis tit. S. Praxedis. – Ego Ivo Presb. Cardinalis S. Laurentii in Damaso. – Ego Gregorius Presb. Cardinalis tit. Callixti. – Ego Petrus tit. Pastoris Cardinalis Presb. – Ego Goizo Presb. Cardinalis tit. S. Caeciliae. – Ego Gregorius Diaconus Card. SS. Sergii et Bacchi. – Ego Otto Diaconus Card. S. Georgii ad Velum Aureum. – Ego Vassallus Diaconus Card. S. Eustachii iuxta templum Agrippae. – Ego Hubaldus Diaconus Card. S. Mariae in Via Lata. – Ego Gerardus Diaconus Card. S. Mariae in Domnica. Datum Laterani per manum Aymerici, Sanctae Romanae Ecclesiae Diac. Card. et Cancellarii, xv kal. Iunii, Indictione tertia, Incarnationis Dominicae anno millesimo centesimo quadragesimo, Pontificatus vero domini Innocentii Papae II anno undecimo. – HARTTUNG, tom. II. – (61).

LXII.

EUGENIUS PP. III.

(ANNO 1151)

Monasterium Miletense SS. Trinitatis tuendum suscipit, eiusque possessiones ac iura confirmat.

Eugenius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Roberto, Abbati Miletensis Monasterii, quod in honorem Sanctae Trinitatis et B. Michaëlis Archangeli aedificatum est, eiusque Fratribus tam praesentibus, quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.* — Cum omnibus Ecclesiasticis personis debitores, ex iniuncto Nobis a Deo Apostolatus officio existamus; illis tamen locis atque personis, quae specialius ad Apostolicam Sedem spectare, et ad Romani Pontificis ordinationem pertinere noscuntur, propensiori Nos convenit caritatis studio imminere, et eorum iussis clementer annuere. Ea propter, dilecte in Domino fili, rationabilibus tuis postulationibus benignius impertientes assensum, praefatum Monasterium, quod ab illustris memoriae Rogerio Comite a fundamentis est extructum, et per manum felicis recordationis Domini Urbani Praedecessoris Nostri Papae II B. Petro, eiusque Sanctae Romanae Ecclesiae in ius perpetuum et tutelam oblatum esse dignoscitur; ad exempla Praedecessorum Nostrorum sanctae memoriae Paschalis et Innocentii Romanorum Pontificum, sub B. Petri et Nostra protectione suscipimus, et praesenti scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, Deo propitio, poterit adipisci, firma tibi tuisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec duximus propriis exprimenda vocabulis.

In territorio Miletensi – Villam S. Gregorii, et ibidem Ecclesiam S. Nicolai, Ecclesiam S. Gregorii de Briatico, S. Ioannis de Royacho, S. Mariae de Medina, S. Mariae et S. Clementis de

Arena, S. Mariae de Stylo, S. Ioannis et S. Nicolai de Gerentia. — *In civitate Giracio* tres Ecclesias, Monasterium S. Nicodemi de Patera, Ecclesiam S. Nicolai de Falla cum pertinentiis suis, Ecclesiam S. Mariae de Demontorio cum pertinentiis suis, Ecclesiam S. Petri iuxta Bibonam, quam tenuit Romeus. — *Apud Castellum Vetus*, Ecclesiam S. Nicolai de Caconia, Ecclesiam S. Ioannis et S. Mariae de Melicano. — *In Civitate Squillacio*, Ecclesiam S. Martini et S. Nicolai de Prato. — *In pertinentia Ayelli*, Ecclesiam S. Philippi, S. Mariae de Ponticella, S. Laurentii et S. Hippolyti. — *In territorio Adhamantiae*, Ecclesiam S. Angeli de Stricto, S. Barbarae et S. Petri. — *In territorio Fluminis Frigidi*, Ecclesiam S. Nicolai de Turiano, Ecclesiam S. Philippi apud Montaltum, Ecclesiam S. Cassiani, S. Nicolai de Matte de Trabea iuxta maiorem gurgitem, Ecclesiam S. Georgii et Nicolai de Regina. — *In Sicilia*, Ecclesiam S. Ioannis, S. Georgii de Mohac, S. Ioannis de Caltanisseth, S. Barbarae de Calatebetor, S. Nicolai de Caia, S. Ioannis de Rocca Maris, SS. Cosmae et Damiani de Cataludit, cum pertinentiis suis, Ecclesiam S. Anastasiae de Gratteriis, SS. Innocentium de Mistrecto, et S. Stephani, S. Basilii de Naso, S. Nicolai de Brutana, S. Angeli, S. Georgii, S. Mariae de Murra, et Sancti Passi de Melasio. Et partem oppidi, quod Mesianum dicitur, quod a supradicto Comite praefato Monasterio SS. Trinitatis et S. Angeli oblata cognoscitur. - UGHELLI, tom. I. - (62).

LXIII.

ALEXANDER PP. III.

(ANNO 1165)

Ecclesiae Rheginae tutelam suscipit, iura Metropolitica confirmat, palliumque concedit.

Alexander *Episcopus, Servus servorum Dei, venerabili fratri Rogerio Rhegiensi Archiepiscopo eiusque Successoribus canonice instituendis in perpetuum.* — Sicut in humani compage corporis naturalis ratio singulis quibusque membris ad salutem providens,

speciales et proprios actus edocet, nobilioribus vero suam dignitatem conservat ita in corpore Ecclesiae, Apostolica providentia, secundum sacrorum canonum constitutiones, universas regit Ecclesias et digniores et famosiores in sui status praerogativa custodit. Aequum enim et rationabile est, ut suus unicuique honor Ecclesiae atque collata dignitas Sedis Apostolicae munimine confirmetur. Quocirca, venerabilis in Christo Frater Rogeri Archiepiscope, Tuis iustis postulationibus benignum impartimur assensum; et Praedecessorum Nostrorum felicis memoriae Gregorii et Eugenii Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, praedictam Rhegiensem Ecclesiam, cui Deo auctore praeesse dignosceris, sub B. Petri et Nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus; statuentes ut quascumque possessiones, quaecumque bona, eadem Ecclesia priscis temporibus iuste habuit, et in praesentiarum concessione Pontificum, largitione Imperatorum, Regum, Ducum, Comitum, Principum aut oblatione fidelium, iuste et legitime possidet; quidquid etiam per aliquod rationabile scriptum et certum ac legale indicium recuperare potuerit, aut in futurum rationabilibus modis, Deo propitio, poterit adipisci; firma Tibi tuisque Successoribus et illibata permaneant. Praeterea ipsum Rhegiensem Archiepiscopatum, cum onmnibus suis Episcopatibus, videlicet Tropaeano, Neocastrensi, Sillano, Cassanensi, Bovensi, Geratino, Opensi et Crotonensi, atque cum adiacentibus parochiis suis, tibi tuisque successoribus confirmamus, et ordinandi seu consecrandi Episcopos, tam Graecos quam Latinos Ecclesiae tuae subiectos, licentiam, et potestatem pariter indulgemus. Pallii quoque usum tuae fraternitati ex Apostolicae Sedis liberalitate, concedimus, infra Ecclesiam tantum, diebus, qui inferius distinguuntur, id est Nativitate Domini et Apparitione ipsius, Coena Domini, Paschate, Ascensione, Pentecoste, quatuor solemnitatibus B. Dei Genitricis semperque Virginis Mariae, in Natalitiis Apostolorum, et Praecursoris Christi Ioannis Baptistae, in consecrationibus Episcoporum suffraganeorum, in dedicationibus Ecclesiarum, et annuo natalitio tui die. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuere, seu

quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione et substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum şuum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris Nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesiae sua iura servantibus, sit pax Domini Nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen - Benevalete. — *Ego Alexander Catholicae Ecclesiae Episcopus.* - Ego Hubaldus Hostiensis Episcopus. - Ego Bernardus Portuen. et S. Rufinae Episcopus. - Ego Gualtierius Albanensis Episcopus. - Ego Hubaldus Card. tit. S. Crucis in Hierusalem. - Ego Henricus Presb. Card. SS. Nerei et Achillei. - Ego Guilelmus Presbyter Card. S. Petri ad Vincula. — Datum Caietae, per manum Hermanni S. R. Eccl. Subdiaconi et Notarii XIII kal. Decembris, Indictione decima quarta. - MORISANI, *De Protopapis et deutereis Graecorum.* - (63).

LXIV.

(ANNO 1165)

Episcopum Tropiensem commendat, ut benigne excipiatur in sua dioecesi.

Alexander Episcopus, *Servus servorum Dei, carissimo in Christo filio Ludovico illustri Francorum Regi, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Quoniam Regnum Siciliae ad ius et proprietatem B. Petri specialiter spectat, et Nos convenit de statu et conservatione ipsius sollicitos et studiosos existere; Regiae serenitatis industriam postulamus, quatenus consilium et sedulitatem tuam carissimo in Christo filio nostro Willelmo illustri Siciliae Regi litteris tuis prudenter aperias, eum attentius

admonens et exhortans, ut quia inimici eius se praeparant et totam intentionem suam ad hoc dirigunt quod possint terram illius intrare, et ipsum crebris vexationibus fatigare; taliter se, et terram suam praemuniat, et sibi studeat praecavere, quod machinationes atque insidiae inimicorum non valeant eum laedere, vel in aliquo iacturam seu detrimentum inferre. De caetero venerabilem fratrem nostrum Coridonem Tropeiensem Episcopum, qui ad Episcopatum suum in terram eiusdem Regis existentem desiderat remeare, Regiae serenitati attentius commendamus, per Apostolica scripta rogantes, quatenus eum pro reverentia B. Petri et Nostra benigne recipias, et ipsum litteris deprecatoriis ita affectuose praefato Regi commendes, quod ex commendatione tua idem Episcopus carior habeatur et magis acceptus, et Nos exinde celsitudini tuae gratias exsolvere debeamus. Datum Senonis, IV idus Octobris. – HARDUINI, *Acta Concilior*. tom. VII. – (64).

LXV.

(ANNO 1178)

Eremi Carthusiani possessiones et iura confirmat.

Alexander Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filii Willelmo Priori S. Stephani de Eremo eiusque Fratribus tam praesentibus quam futuris regularem vitam professis in perpetuum.* — Cum ex inspiratione divina vitam solitariam elegeritis, et sub disciplina regulari divinae contemplationi vacetis, dignum est et conveniens, ut vobis Apostolicum debeat adesse suffragium, ne a divinis obsequiis possitis quomodolibet retrahi, si pravorum fueritis inquietationibus et rapinis expositi, ab ipsorum molestiis et iniuriis lacessiti. Ea propter, dilecti in Christo filii, vestris iustis postulationibus gratum impertientes assensum, locum vestrum et Ecclesiam, in qua divinis estis mancipati obsequiis, ad exemplar Praedecessorum nostrorum felicis memoriae Urbani, Paschalis, Callixti et Innocentii Romanorun Pontificum, sub B. Petri et Nostra protectione suscipimus, et praesentis scriptis privilegio communimus, statuentes ut quascumque possessiones, quaecumque bona

idem locus et Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque Successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis; – Ecclesia S. Mariae de Geracio; Ecclesia Omnium Sanctorum de Badulato; Ecclesia S. Ioannis de Cucu; Ecclesia S. Constantini de Arena; Ecclesia S. Nicolai de Camarato, et locum, qui dicitur Artafia, ubi antiquitus Monasterum fuerat, cum omnibus praediis et possessionibus ad illum locum pertinentibus, ubicumque sint, sicut a recolendae memoriae Rogerio Comite in Ecclesiae vestrae dedicatione locus idem oblatus est: Villanos quoque de Stylensi territorio, qui super Artafiae possessionibus manent. In territorio Squillacensi, Casale Arunchum cum omnibus pertinentiis suis et villanos eiusdem Casalis; similiter etiam villanos pertinentes ad Montaurum et Olivianum, cuiuscumque sint artis, vel negotii, seu marinarii, quos idem Comes paulo ante obitus sui diem loco nostro per chirographum obtulisse cognoscitur. Statuimus insuper ut praedictus locus, in quo inspiratione divinae gratiae ad Omnipotentis Dei servitium convenistis, a iugo, potestate, iniuria, molestia omnium hominum liber, cum tota sylva, monte, terra et aqua in spatium unius leucae in omni parte adiacenti in vestrae et successorum vestrorum dispositione permaneat, sicut a praedicto Comite Rogerio Praedecessoribus vestris donatus est, et a iam dictis nostris Antecessoribus confirmatus. Nemini etiam intra spatium praedictum liceat pascua, agriculturae, seu piscationis aut lignorum occasione, vel quacumque ex causa vobis aut successoribus vestris iniuriam, seu molestiam irrogare; sed totum secundum voluntatem vestram possideatis, disponatis, ordinetis et erogetis. Chrisma vero, consecrationes Altarium seu Basilicarum, ordinationes Clericorum, qui ad sacros Ordines fuerint promovendi a quocumque vicinorum Episcoporum malueritis, suscipietis, siquidem catholicus fuerit, et gratiam et communionem Apostolicae Sedis habuerit. Decimas etiam de vestris et villanorum vestrorum laboribus, nullus a vobis praesumat exigere; sed sicut a quadraginta retro annis inconcusse possedisse noscimini, ita etiam de coetero sine

molestia et contradictione qualibet teneatis. Et si rustici vestri in aliquo offenderint, in vestra manu tantum omnis eorum correctio maneat, sicut est hactenus observatum. Ad haec libertates et immunitates, quas Theodorus, Ioannes et Donatus Episcopi Squillacensis Ecclesiis et bonis aliis quae in Episcopatu Squillacensi habetis, de assensu Capituli sui, vel maioris et sanioris partis indulsisse noscantur, sicut in eorum scriptis authenticis continetur, auctoritate Apostolica confirmamus, easque integras omni tempore et illibatas manere sancimus. Nihilominus etiam terram quamdam in territorio Squillacii positam, quae Gasperina dicitur, sicut eam bonae memoriae Stephanus quondam Mileten. Epscopus de assensu fratrum suorum vestrae Ecclesiae rationabiliter contulit et scripti sui munimine roboravit, vobis et successoribus vestris auctoritate Apostolica confirmamus. Decernimus, ut nulli omnino hominum liceat praefatum locum et Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ablatas retinere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia et integra conserventur eorum pro quorum gubernatione et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica saecularisve persona hanc nostram Constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, si non praesumptionem suam digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et a sanctissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Nostri Redemptoris Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus hic suae fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. *Ego Alexander Catholicae Ecclesiae Episcopus.* – Ego Ioannes Presb. Cardinalis SS. Ioannis et Pauli tit. Pamachii. – Ego Ioannes Presb. Cardinalis tit. S. Anastasiae. – Ego Boto Presb. Cardinalis S. Pudentianae tit. Pastoris. – Ego Ioannes Presb. Cardinalis tit. S. Marci. – Ego Manfredus Presb. Cardinalis tit. S. Caeciliae. – Ego Petrus Presb. Cardinalis S. Susannae. – Ego Vivianus Presbyter Card. tit. S. Stephani in Coelio Monte.

– Ego Hyacinthus Diac. Card. S. Mariae in Cosmedin. – Ego Ordicio Diac. Card. S. Theodori. – Ego Cinctius Diac. Cardinalis S. Adriani. – Ego Hugo Diac. Card. S. Eustachii iuxta Templum Agrippae. – Ego Laborans Diaconus. Card. S. Mariae in Porticu etc. – HARTTUNG, tom. III. – (65).

LXVI.

(ANNO 1179)

Ecclesiae Tropiensis protectionem suscipit, eamque privilegio communit.

Alexander Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Coridoni Tropiensi Episcopo, eiusque Successoribus canonice substituendis in perpetuum.* — Ideo sumus rite ad administrationem summi Pontificatus assumpti, ut omnibus, et praesertim fratribus et coëpiscopis nostris Apostolicum patrocinium debeamus impendere, et contra malignorum incursus eorum Ecclesias communire. Ea propter, venerabilis in Christo frater Episcope, tuis iustis postulationibus clementer annuentes Tropiensem Ecclesiam, cui, auctore Deo, praeesse dignosceris, sub B. Petri, et Nostra protectione suscipimus, et praesenti scripto privilegio communimus, statuentes, ut quascumque possessiones et quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, praestante Domino, poterit adipisci, firma tibi tuisque Successoribus, et illibata permaneant. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum fas sit praedictam Ecclesiam temere perturbare, aut eius possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, vel quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione, et sustentatione concessa sunt usibus omnimodis profutura, salva Apostolicae Sedis auctoritate, et Rhegini Archiepiscopi debita reverentia. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica saecularisque persona hanc nostrae Constitutionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo tertiove commonita, nisi reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se

divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore, ac Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco iura sua servantibus, sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemium aeternae pacis inveniant. Amen. Datum Laterani per manum Alberti S. R. E. Presb. Cardinalis et Cancellarii, idibus Martii indict. duodecima, Incarnationis Dominicae anno millesimo centesimo septuagesimo nono, Pont. vero Domini Alexandri PP. III anno vicesimo. – Ughelli, tom. ix. – (66).

LXVII.

(Anno 1180)

De quodam diacono Consentino.

Alexander Episcopus *Consentinensi Archiepiscopo.* — Continebatur in litteris tuis, quod cum diaconus praesentium lator, et quidam alii clerici a vineis Ecclesiae opere consummato redirent, levandi laboris gratia, quemdam ludum imitati viatorum, baculos suos studebant iacere in directum, et alter alterius fustem ferire; cuius ludi solet esse conditio, ut qui alterius baculum percuteret, quasi victor, equo alio uteretur; sed praefati clerici equitandi licentia non utentes, sola erant iactione contenti. Quidam autem laicus, dum baculum eiusdem diaconi percussisset, incautus in eum equitaturus insiliit; et sic a falce illius diaconi, qua erat accinctus, mortale vulnus accepit, de quo post dies octo expiravit. Ideoque mandamus, quatenus eumdem diaconum sine licentia Romani Pontificis ad superiorem gradum non ascendere, vel in diaconatus officio nullo unquam tempore ministrare permittas; sed eum dispensative ministrare in subdiaconatus officio patiaris. – Decretal.. lib. v, tit. 12, cap. 8 – (67).

LXVIII.

COELESTINUS PP. III.

(ANNO 1192)

Pro Ecclesia Balneariae et Monasterio S. Euphemiae.

Coelestinus Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis Rainerio Priori et Canonicis Ecclesiae de Balnearia, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Aequum est et consonum rationi, ut quaestiones, quae concordia vel iudicio sopiuntur, ne in contentionem denuo reducantur, litterarum memoriae commendentur, Apostolicoque patrocinio muniantur. Cum autem inter Ecclesiam vestram et Monasterium S. Euphemiae super sylva Ecclesiae de Corona et terra quae dicitur Sparta aliisque adiacentibus tenimentis controversia suborta fuisset, tandem mediantibus bon. mem. Rogerio quondam Rhegino Archiepiscopo, Willelmo Anglonensi, Iohanne Maltensi et Iustino Mazariensi Episcopis, qui super hoc cognitores fuerant instituti, in praesentia plurium discretorum virorum definitiva fuit sententia terminata. Nos igitur sententiam illam, sicut rationabiliter lata est et hactenus observata et in scripto exinde facto plenarie continetur, ratam habentes, scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani, secundo Non. Maii, Pontificatus Nostri anno secundo. – HARTTUNG, tom. I – (68).

LXIX.

(ANNO 1192)

De sepultura peregrinorum in Apulia, Calabria et Sicilia.

Caelestinus Episcopus *Servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopis, Episcopis et dilectis filiis aliis Ecclesiarum Praelatis per Apuliam, Calabriam et Siciliam constitutis*

salutem et Apostolicam Benedictionem. — Quanto religio fratrum Militiae Templi pro defensione Christianitatis magis necessaria existit et omnipotenti Deo gratior esse probatur, tanto ad eam confovendam et conservandam ferventius debemus accendi et vehementius animari. Inde est, quod Nos vestigia fratrum et Praedecessorum Nostrorum Alexandri, Lucii, Urbani et Clementis, Romanorum Pontificum, diligentius prosequentes, praedictis fratribus liberam indulsimus facultatem, ut quicumque apud eos sepeliri elegerint, eorum devotioni et extremae voluntati, nisi forte excommunicati vel interdicti sint, nullus obsistat. Unde, quoniam nemini tutum est, contra statuta Romanae Ecclesiae aliqua ratione venire, universitati vestrae per Apostolica scripta mandamus atque praecipimus, quatenus peregrinos et praecipue confratres eorum, qui apud praedictos Fratres sepulturam elegerint, libere sepeliri, nisi nominatim excommunicati vel interdicti fuerint, permittatis, nec alicui praesumatis hoc prohibere, nec ab eis quartam partem eleemosynarum exigere pro his, qui vestri parochiani non fuerint, seu etiam parochianis vestris qui apud eos non sepeliuntur, aliquatenus attentetis, sed in his et in aliis, quae sibi sunt ab Apostolica Sede indulta, praedictos fratres quiete et pacifice dimittatis, ita quod non habeant iustam de vobis materiam conquerendi. Datum Romae apud Sanctum Petrum, quarto idus Augusti, Pontificatus Nostri anno secundo. – HARTTUNG, tom. II – (69).

LXX.

(ANNO 1192)

Fratribus Coenobii S. Stephani in Calabria tunc Cisterciensis Ordinis, ut sub observantia Abbatis Fossaenovae vivant praescribit.

Coelestinus Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Coenobii S. Stephani de Bosco in Calabria, salutem et Apostolicam benedictionem.* — Ad Religionis ordinem propagandum et ad suos palmites extendendos, ex officii Nostri debito propensiori cura debemus intendere, et ipsum divina fragrantia pullulantem tenere pro viribus et favere. Cum igitur, divina inspi-

ratione praeventi, sub Cisterciensis Ordinis observantia volueritis militare, et super hoc confirmationem Apostolicam et favorem Prior vester ad Nos veniens obnixe petierit; fratrum Nostrorum communicato consilio, cum dexterae Excelsi mutatio videatur, vestrum hoc propositum commendamus; et ut amodo sub eadem observantia et fratrum Fossae Novae vivere debeatis, et gratum Deo famulatum impendere, auctoritate Apostolica, salvo Romanae Ecclesiae iure, confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae Constitutionis et confirmationis infringere etc. Datum Laterani tertio idus Decembris, Pontificatus Nostri anno secundo. – TROMBY, tom. IV – (70).

LXXI.

(ANNO 1196)

Constitutiones confirmat Ordinis Florensis.

Coelestinus Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis Ioachim Abbati et Conventui de Flore salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Cum in Nostra esses, fili Abbas, praesentia constitutus, tuis Nobis relationibus exposuisti, quasdam Institutiones de vita Monachorum tuorum et Monasteriorum tuo Coenobio subiacentium, et de rebus ab ipsis Fratribus et Monasteriis in posterum possidendis, quas ut in eisdem Monasteriis et ab ipsis Fratribus observari confirmari a Nobis cum instantia postulasti. Nos igitur tuis precibus inclinati et praedictas Constitutiones, sicut a te provide factae sunt, auctoritate Apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, firmiter inhibentes, ne ipsarum Constitutionum forma in Monasteriis supradictis temeritate cuiuslibet enervetur. Nulli ergo omnino hominum licitum sit hanc nostrae paginam confirmationis et inhibitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Romae octavo kal. Septembris, Pontificatus nostri anno sexto. – BOLLANDI, *Acta Sanctorum mense Maio,* tom. VII – (71).

LXXII.

INNOCENTIUS PP. III.

(Anno 1198)

Iura Ecclesiae Neocastrensis revocanda, si minus legitime alienata.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Neocastrensi Episcopo.* — Significasti Nobis per litteras tuas, quod bonae memoriae G. praedecessor tuus et qui secuti sunt eum usque ad tempora tua, ad mensam pontificalem pertinentes in tuum et Ecclesiae detrimentum quibusdam laicis minus rationabiliter contulerunt, concessiones ipsas instrumentis publicis munientes, et ut auctoritate Nostra quod ab eis perperam factum est tibi corrigere liceat, suppliciter postulasti. Nos ergo attendentes, quod delictum personae non debet in damnum Ecclesiae redundare, fraternitati tuae per Apostolicas litteras indulgemus, ut quod a iam dictis Praedecessoribus tuis usque ad praesens in praeiudicium Neocastrensis Ecclesiae minus legitime alienatum est, ad ius ipsius tibi liceat appellatione remota legitime revocare. Nulli ergo etc. Datum Romae apud S. Petrum, nonis Iunii, Pontificatus Nostri anno primo. - Balutii, *Epistolae Innocentii PP. III*, tom. 1 - (72).

LXXIII.

(Anno 1198)

De corpore vitiatis non promovendis ad Ordines.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Miletensi Episcopo.* — Exposuisti Nobis in nostra praesentia constitutus, quod I. quondam praedecessor tuus, Ph. in Abbatem promovit, nesciens quod ipse manu esset altera mutilatus. Quia vero Abbas ipse noscitur sinistra carere, quod super hoc agendum sit Nostra voluisti responsione doceri. Nos igitur fraternitati tuae taliter

respondemus, quod cum pro tam enormi defectu ad sacros non possit Ordines promoveri et ipse in promotione sua id tacuerit fraudulenter, ab Abbatiae officio est non immerito amovendus. Datum Romae apud S. Petrum quinto kal. Iulii – DECRETAL. Lib. I, tit. 20, cap. 6 – (73).

LXXIV.

(ANNO 1198)

Monasterium de Patirio tuendum suscipit, eiusque iura confirmat.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, fratri Nicodemo Archimandritae Monasterii B. Mariae de Patirio, eiusdemque Fratribus tam praesentibus quam futuris temporibus vitam professis in perpetuum.* — Regularem vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse praesidium, ne forte cuiuslibet temeritatis incursus aut eos a proposito revocet, aut robur, quod absit, sacrae Religionis infringat. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus clementer annuimus; et praefatum Monasterium B. Dei Genitricis Mariae de Patirio nuncupatum cui estis obsequio mancipati, ad exemplar felicis recordationis Paschalis Praedecessoris Nostri sub B. Petri, et nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti privilegio communimus. In primis quidem statuentes, ut Ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Basilii regulam in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis temporibus ibidem inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona eadem Ecclesia in praesentiarum iuste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus exprimenda vocabulis: Lucum ipsum, in quo praefatum Monasterium fundatum esse dignoscitur cum pertinentiis suis, Ecclesiam S. Mariae de Orsino cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Nicolai de Lista cum Ecclesiis S. Blasii videlicet et S. Mariae de Cabla et aliis pertinentiis suis. Ecclesiam S. Salvatoris de Brundusio cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam

S. Apollinaris de Conchili cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Mariae de Scalito cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Pancratii de Graeca cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Onuphrii in Calonati cum omnibus pertinentiis suis, Ecclesiam S. Nicolai de Peniga cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Helenae de . . . . . . cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Constantini de Otece cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Mariae de Alimento cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Nicolai de Donna cum omnibus pertinentiis suis. Ecclesiam S. Dionysii de Casubono cum omnibus pertinentiis suis; Casale de Crepacore, casale de Labonia, casale S. Georgii, casale de Casalini, casale de Lilacconi, casale quod habetis apud Cassanum, Feudum quod habetis apud Rossanum. Sane novalium vestrorum, quae propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis animalium vestrorum nullus a vobis decimas exigere praesumat. Liceat quoque vobis clericos et laicos liberos et absolutos a saeculo fugientes ad conversionem recipere, et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus insuper, ut nulli Fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque Abbatis sui licentia, nisi arctioris Religionis obtentu, de eodem loco discedere. Discedentem vero, absque communium litterarum vestrarum cautione, nullus audeat retinere. Chrisma vero, Oleum Sanctum, consecrationes Altarium seu Basilicarum vestrarum, ordinationes Monachorum vel Clericorum vestrorum, et alia ecclesiastica sacramenta per dioecesanum vobis Episcopum praecipimus sine pravitate aliqua exhiberi. Qui si vobis illa malitiose denegare praesumpserit, licitum vobis sit ea ab Episcopo vicino recipere, ita tamen quod nullum Dioecesano vestro super hoc praeiudicium in posterum generetur. Licitum praeterea vobis sit in Ecclesiis et casalibus vestris Notarios, Archipresbyteros et alios Officiales instituere, sicut ab antiquis retro temporibus licite et rationabiliter est obtentum. Prohibemus etiam, ut nemini liceat vobis contra iustitiam violentiam . . . . . . Et tunc eiusdem loci Archimandrita, et quolibet successorum nulla qualibet subreptionis astutia seu molestia praeponatur, nisi quem fratres communi consensu et fratrum pars sanior secundum Deum et B. Basilii regulam propria voluntate eligentium. Sepulturam

quoque loci illius liberam esse decernimus, ita ut eorum devotioni et extremae voluntati, qui se illic sepeliri voluerint, nullus obsistat, nisi forte excommunicati vel interdicti sint; salva tamen iustitia illarum Ecclesiarum, a quibus mortuorum corpora assumuntur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat praefatum Monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre aut ablatas retinere, minuere, seu vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur eorum, pro quorum gubernatione ac substentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura, salva Sedis Apostolicae auctoritate et dioecesani Episcopi canonica iustitia. Si qua vero in futurum ecclesiastica saecularisve persona hanc nostrae Concessionis paginam sciens contra eam temere venire tentaverit, secundo, tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui careat dignitate, reamque se divino Iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat et a Sacratissimo Corpore et Sanguine Dei, ac Domini Redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtae ultioni subiaceat. Cunctis autem eidem loco sua iura servantibus sit pax Domini nostri Iesu Christi, quatenus et hic fructum bonae actionis percipiant, et apud districtum Iudicem praemia aeternae pacis inveniant. Amen. Amen. Amen. *Ego Innocentius Catholicae Ecclesiae Episcopus* subscripsi. – Ego Petrus Portuensis et S. Rufinae Episcopus subscripsi. – Ego Petrus tit. S. Caeciliae Presb. Card. subscripsi. – Ego Iordanus S. Pudentianae tit. Pastoris Presb. Card. subscripsi. – Ego Guido Presb. Card. S. Mariae Transtiberim tit. S. Callixti subscripsi. – Ego Hugo Presb. Card. tit. SS. Silvestri, et Martini in Montibus subscripsi. – Ego Cinthius tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. subscripsi. – Ego Gratianus SS. Cosmae et Damiani Diaconus Card. subscripsi. – Ego Gerardus S. Adriani Diaconus Card. subscripsi. – Ego Gregorius S. Georgii ad Velum Aureum Diaconus Cardin. subscripsi. Datum Spoleti per manum Raynaldi Dom. Papae Notarii agentis vicem Cancellarii, sexto kal. Sept. indictionis primae, Incarn. Dom. millesimo centesimo nonagesimo octavo, Pontificatus vero Domini Innocentii PP. III anno primo. – Ughelli, tom. IX – (74).

LXXV.

(ANNO 1198)

De officio et potestate iudicis delegati.

Innocentius Episcopus *Rheginensi Archiepiscopo et Episcopo Cephadulensi.* — Cum causa, quae vertitur inter Montis regalis et Rossan. Archiepiscopos super quibusdam decimis, Panormitano et Capuano archiepiscopis et tibi frater Rheginensis, commissa fuisset a Nobis, sine debito terminanda praedictus Archiepiscopus Montis Regalis (sicut accepimus) ad primam Panormitani et Capuani Archiepiscoporum citationem accessit; in quorum praesentia excipiendo proposuit, quod pro duabus causis eorum non deberet stare iudicio: tum quia ipsa causa tribus fuerat iudicibus delegata, et idem ab illis duobus tantum (te, frater Rheginensis, inconsulto, nec vices tuas super hoc committente) ad iudicium fuerat evocatus, tum quia ante ipsorum citationem et notitiam litterarum, pro eadem causa nuncium suum ad Apostolicam Sedem transmiserat, in quo decretalem Alexandri Papae praedecessoris nostri sibi affirmabat apertius suffragari. At iidem Archiepiscopi exceptiones ipsius nolentes admittere contra eum ut responderet, interlocutoriam sententiam protulerunt, propter quod ad Sedem Apostolicam appellavit, ut infra. Fraternitati vestrae mandamus, quatenus si vobis constiterit praedictos Archiepiscopos exceptiones praedictas nullatenus admisisse non obstante eo quod per ipsos factum est, decimas ipsas, quibus praedictus Montis Regalis Archiepiscopus se post quam nuncius suus propter hoc ad Sedem Apostolicam accesserat, asserit spoliatum, praecipue cum eosdem tam sibi quam Ecclesiae suae a se de Apostolica asserat confirmatas, sive per laicalem potentiam, sive per eosdem iudices factum sit, cum fructibus inde perceptis restitui faciatis, audientes postmodum quantum de iure poteritis quicquid fuerit quaestionis. – DECRETAL. Lib. I, tit. 29, cap. 21 – (75).

LXXVI.

(Anno 1198)

Ut inducantur Ecclesiae Praelati subvenire Terrae Sanctae.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Syracusano Episcopo et Abbati de Sambucino (in Calabria).* — De vestra discretione ac sinceritate confisi, etsi negotium laboriosum, meritorium tamen, et sicut credimus vobis propter Christum acceptum, duximus committendum, sperantes quod illud tanto libentius impleatis, quanto per ipsum (ut sic loquamur) et restitutio Iesu Christi exulis et communis Christiani populi utilitas amplius procuratur. Vos autem mandati Apostolici tenore suscepto, nec parcentes laboribus nec expensis, proposuistis populis Siciliae causam Christi. Nec fuit labor vester inanis, cum et multi de manibus vestris susceperint signum Crucis, et plures tam in victualibus quam aliis parati sint pro necessitatibus Signatorum congruentia subsidia destinare. Verum, sicut ex literis quas tu, fili Abbas, ad Sedem Apostolicam destinasti, didicimus, hi circa subsidium Terrae orientalis negligentiores existunt, qui subditos sibi populos ad id deberent exemplo et exhortationibus invitare, et liberalitas laicorum, quos ad succursum Terrae orientalis mandavimus simpliciter commoneri, eos in devotione praecedit quibus id districte praecipimus, certam poenam eorum negligentiae comminantes. Non enim sicut per easdem accepimus Archiepiscopi et Episcopi redditus suos ab aliis sustinent aestimari, nec ipsi eos aliquatenus taxant, ne secundum proprias facultates necessitatibus Hierosolymitanae Provinciae iuxta tenorem litterarum nostrarum congruentia destinare subsidia iubeantur. Scripsisti etiam, quod de consilio Religiosorum virorum procedit ut in Missa singulis diebus in singulis Ecclesiis pro peregrinis dicatur oratio specialis, et semel in hebdomada pro tribulatione Missa populo decantetur. Insuper, quod multi limina B. Iacobi Apostoli visitare se voverint, intimasti; qui praeter oblationem altari beati Iacobi deputatam quam illuc devote transmittent, universas expensas itineris libenter impenderent vel in stipendia Signatorum, vel

alias necessitates ultramarinae Provinciae, dummodo a voto emisso Auctoritate Apostolica solverentur, et quod de consilio procedit quorumdam, ut redditus vacantium praebendarum in usum orientalis Provinciae convertantur usque ad biennium adiecisti, salva Vicariis solita pensione, ne interim Ecclesia suo servitio defraudetur. Ut Monachi praeterea et alii religiosi extra claustra vagantes, auctoritate Nostra reducantur ad claustrum, et peculium quod inventum fuerit apud eos erogetur in stipendia signatorum procedere dixisti de consilio non paucorum. Volentes igitur quod de subventione Terrae orientalis incepimus, quantum in Nobis fuerit, Domino concedente complere, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus tam Archiepiscopos et Episcopos, quam alios Ecclesiarum Praelatos, ut secundum proprias facultates Terrae Sanctae iusta aestimatione subveniant diligenter inducere procuretis. Quod si monitis vestris acquiescere forte noluerint, vos ipsi per viros idoneos et discretos eorum faciatis reditus iusta aestimatione pensari; et nisi postmodum secundum facultates suas et discretionem vestram Terrae orientali curaverint subvenire, per vestras Nobis litteras intimetis. Volumus autem ut per universam Siciliam singulis diebus in Missa pro peregrinis oratio Domino porrigatur, et semel in ebdomada pro tribulatione Missa publice decantetur. Eos autem, qui se visitaturos limina B. Iacobi devote voverunt, si salva oblatione altaris reliquas expensas in Signatorum voluerint subsidium erogare, dummodo laborem etiam redimant quem sustinerent in via, auctoritate Nostra suffulti, ab eo quod voverant absolvatis. Reditus vero praebendarum vacantium, si de assensu dioecesani Episcopi et Clericorum illius Ecclesiae, in qua praebenda vacaverit, processerit voluntate, ut usque ad biennium convertantur in subsidium Terrae sanctae, salvis Vicariorum stipendiis, sustinemus. Volumus nihilominus et mandamus, ut Monachos et alios religiosos extra claustra vagantes ad fratrum redire consortium, qui eos recipiant, salva ordinis disciplina, cogatis, et proprium quod inventum fuerit apud ipsos, nisi eis ex ea causa propter quam oporteat illud restitui forsan provenerit, in Terrae orientalis subsidium convertatis. De his qui manus iniecerint in Clericos temere violentas, quia severitatem canonicam nolumus enervare, nihil aliud vobis

ad praesens duximus concedendum, quam per priores vobis litteras est concessum. Super capitulis autem pro quibus inclytae recordationis Constantiae Imperatrici Nos scribere postulastis, ipsa sublata de medio, votum vestrum non potuimus adimplere. Datum Laterani nonis Ianuarii. – BALUTII, tom. II. - (76).

LXXVII.

(ANNO 1199)

De novo Archiepiscopo et Metropolitae iuribus.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Clero et Populo Rheginensi.* — Cum dilectus filius noster G. Sanctae Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis, cui vices Nostras tam super balio Regni quam officio legationis commiseramus, apud Messanam pro ipsius Regni negotiis moraretur, dilecti filii Canonici Rhegin. eidem obitum ..... bonae memoriae Rhegin. Archiepiscopi tam per litteras quam per suos concanonicos nuntiarunt. Postmodum autem ad propria revertentes et convenientes in unum, invocata Spiritus Sancti gratia, vota sua in venerabilem fratrem nostrum I. tunc Rhegin. Archidiac. contulerunt, eundem sibi unanimiter eligentes in patrem suum pariter et Pastorem. Cumque ad praedicti Cardinalis praesentiam accessissent, ut ab eo tam assensum quam confirmationem etiam obtinerent, ipse assensum eis Regia vice concedens, et electionem examinans, cum eamdem invenisset canonice et de persona idonea celebratam, auctoritate Apostolica confirmavit. Coeterum Cardinalis praedictus pericula viarum diligenter attendens, ne dicti Electi consecratio nimium differretur, venerabilibus fratribus nostris universis Episcopis Rheginensis Ecclesiae Suffraganeis dedit auctoritate Apostolica in mandatis, ut eidem munus consecrationis impenderent, Pallium a nobis, videlicet pontificalis officii plenitudinem, postmodum recepturo. In quibus praedictus Cardinalis gratiam fecisse dignoscitur, cum idem Archiepiscopus et pro duobus mittere et propter duo ad Nostram praesentiam accedere debuisset. Mittere quidem, pro assensu et confirmatione pariter impetrandis: accedere vero, propter munus consecrationis et donum Pallii obtinenda. Inter coetera

namque privilegia, quae sibi Sedes Apostolica reservavit, unum est et non minimum, quod Patriarchae, Primates et Metropolitani pro recipiendo Pallio, pontificalis videlicet officii plenitudine, ad eam, tanquam ad Magistram et Matrem, debent habere recursum. Cum ergo idem Archiepiscopus primo per nuntios et tandem per se ipsum, nuper ad Sedem Apostolicam accedens pro pallio institisset, Nos attendentes quod ex gratia quam praedictus ei fecerat Cardinalis, devotionem se Nobis et Romanae Ecclesiae deberet in posterum exhibere, fratrum nostrorum habito consilio diligenti, pallium ipsi de beati Petri corpore sumptum, pontificalis videlicet officii plenitudinem, duximus concedendum. Nos igitur ipsum ad propria cum plenitudine nostrae gratiae remittentes, universitati vestrae per Apostolica scripta mandamus atque praecipimus quatenus eius salubria monita et mandata recipiatis humiliter, et eadem irrefragabiliter observetis. Datum Laterani XVII Kal. Septembris. – BALUTII, tom. I. (77).

LXXVIII.

(ANNO 1200)

Circa quaestiones matrimoniales, ad normam iuris.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Rossanensi Archiepiscopo.* — Quod super his articulis, qui tibi aliquam dubitationem inducunt, nostrum ducis consilium requirendum, et ad ea exequenda quae officium postulant pastorale, Apostolicae Sedis procuras auxilium invocare: sollicitudinem tuam dignis in Domino laudibus commendamus et postulationibus tuis grato animo respondemus. Significasti siquidem Nobis, quod in dioecesi tua pater et filius matrem et filiam, duo cognati duas cognatas, avunculus et nepos duas sorores ducunt in coniuges, et mater et uxor simul baptizant puerum alienum: quidam praeterea tuae dioecesis infra tertium et septimum gradum consanguinitatis se contingentes, matrimonia ad invicem contrahunt, hoc sibi licere de antiqua consuetudine asserentes. Quidam etiam sacerdotes Latini habent in suis domibus concubinas, et nonnulli aliquas sibi non metuunt desponsare; et cum earum aliqua mortua fuerit, vel ab aliquo

Sacerdote eiecta, confestim aliam introducunt, et in ignominiam clericalis ordinis taliter permanent uxorati. Item Abbates et Sacerdotes tuae dioecesis ad synodum tuam venire renuunt convocati, dicentes veniendi ad synodum consuetudinem non habere; et sic iurisdictionem tuam tam in his quam in aliis contemnentes, de rationibus tuis tibi, sicut tenentur, negligunt respondere. Et cum ad Monasteria vis accedere, sicut ad tuum dignoscitur officium pertinere vel Sacerdotes super praedictis excessibus animadversione debita castigare, ipsi appellationis obstaculum interponunt, ut tuam taliter effugiant disciplinam. Ad haec, Capellani castelli Rossanensis aliquando matrimonia non coniungenda coniungere et alia non dividenda dividere non verentur, licet ipsi non debeant de matrimoniis iudicare. Super eo igitur quod pater et filius cum matre et filia et duo cognati cum duabus cognatis, avunculus et nepos cum duabus sororibus contrahunt matrimonia, taliter tibi duximus respondendum, quod licet omnes consanguinei viri sint affines uxoris, et omnes consanguinei uxoris affines sint viri, inter consanguineos tamen viri et consanguineos uxoris ex eorumdem viri videlicet et uxoris coniugio nulla prorsus affinitas est contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Quamvis etiam vir et uxor alienum puerum teneant in baptismo, nulla tamen inter eosdem virum et uxorem contrahitur compaternitas, cum una caro sint per copulam coniugalem, et ideo reddere sibi debitum minime prohibentur. Item cum in sacris canonibus gradus sint consanguinitatis distincti, et per eosdem inhibitum ut nullus infra septimum gradum consanguinitatis linea attingentem sibi audeat in matrimonium copulare; ne infra gradus eosdem contrahantur debes publice inhibere, et praesumptores ecclesiastica districtione punire, non obstante consuetudine, quae dicenda est potius corruptela. Cum autem Sacerdotes latini nullas sibi possint matrimonialiter copulare nec illis habere liceat concubinas, ut latinos Presbyteros tuae dioecesis, qui a te commoniti a sua noluerint praesumptione desistere, per suspensionem officiorum et beneficiorum subtractionem ad id compellere valeas, liberam tibi concedimus auctoritate Apostolica facultatem. Similiter etiam Abbates et Sacerdotes dioecesana tibi lege subiectos, qui ad tuam contemnunt synodum venire vocati, dummodo in ipsa

synodo non ducas aliquid statuendum quod forte canonicis obviet institutis, per censuram ecclesiasticam ad synodum ipsam venire compellas, et debitam tibi reverentiam et obedientiam exhibere. Capellanis praeterea castelli Rossanensis firmiter sub qua convenit districtione prohibeas, ne, sicut non debent, super confirmandis vel dimittendis matrimoniis exerceant aliquam potestatem. Quod si forte contumaces extiterint, canonica eos poteris severitate punire. Cum autem appellatio sit inventa non in diffugium opprimentium, sed in refugium oppressorum, auctoritate tibi praesentium indulgemus, ut iuxta formam praemissam procedere valeas, non obstante appellationis obtentu, si qua forsan fuerit interposita in elusionem ecclesiasticae disciplinae. Nulli ergo liceat hanc paginam Nostrae concessionis infringere etc. Datum Laterani secundo kal. Ianuarii. - DECRETAL., lib. IV, tit. 14, cap. 5. - (78).

LXXIX.

(ANNO 1201)

Pro Episcopo et Canonicis Miletensibus, indemnitati providens Ecclesiae eiusdem.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Miletensi Episcopo, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Sicut ex officio, quod Nobis est Divina clementia propitiante commissum, tenemur iis, quae rite ac secundum formam canonicam peracta esse noscuntur, robur auctoritatis Apostolicae impertiri; sic ad ea in irritum reducenda quae minus licite noverimus attentata, studium Nos convenit et operam impendere diligentem. Nos igitur indemnitati tuae Ecclesiae providere volentes, et universa tam mobilia quam immobilia, quae a Praedecessoribus tuis vel a Canonicis Ecclesiae tuae seu a quibuscumque personis in praeiudicium tuum ac Ecclesiae tuae illicite collata, subtracta, seu alienata fuerunt, liceat tibi sine alicuius appellationis impedimento ad ius tuum et Ecclesiae tibi commissae legitime revocare, fraternitati tuae liberam auctoritate praesentium tribuimus facultatem. Nulli ergo etc. Datum Romae apud S. Petrum septimo kal. Iulii. - BALUTII, tom. II. - (79).

LXXX.

(ANNO 1203)

Quoad Apostolicae Sedis Legatum in Sicilia ad Fridericum Imperatorem et Regem.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Panormitano, Rheginensi, Capuano, Montis-Regalis Archiepiscopis, et Episcopo Troiano, familiaribus regiis.* — Si diligenter attenditis, ut debetis, quot et quanta pro honore Regis et statu Regni Siciliae ab obitu illustris memoriae Constantiae Imperatricis sollicite gessimus et agere non cessamus, per effectum operum potestis evidenter agnoscere quod tutelam Regis et Regni balium Nobis ab eadem Imperatrice relicta non tam verbo quam facto recepimus, et studiosissime procuramus. Prius enim quam dilecti filii magister B. subdiac. noster et L. iudex ipsius Imperatricis et Regis ac vestra Nobis scripta tulissent, ad defensionem Regni accingebamur viriliter et potenter, et ad resistendum Dei Ecclesiae inimicis milites in expensis Ecclesiae miseramus. Licet autem ex pusillanimitate hominum de S. Germano, non ex potentia hostium, castrum S. Germani traditum fuerit in manu hostili, militibus Nostris se recipientibus in Monasterium Cassinense, plus tamen in hoc vobis Dominus et toti Regno consuluit quam fragilitas humana speraret. Nam Marcovaldo circa obsidionem Cassinen. monasterii inaniter occupato, Comites, Barones, Cives et alii Regis et Regni fideles ex magna parte in singulis provinciis convenientes in unum ad resistendum ei, sibi mutuo subvenire iuramento firmarunt, immunita munientes et villas et casalia reducentes ad civitates et loca munita, et contra eum etiam exercitum congregantes. Interim etiam non cessavit manus Domini flagellare tyrannum, cum milites Nostri saepius in exercitum Marcovaldi facientes insultum, multos ex eis occiderint, multos ceperint, plures etiam vulneraverint, et obsessi de obsidentibus frequenter victoriam reportarint. Nec cessavit etiam manus Nostra super eum effundere vasa irae, non solum spiritualiter, sed etiam temporaliter nostram super eum immo divinam potius potentiam exercendo, cum per dilectum filium nostrum I. tituli Sanctae

Priscae Presbyterum Cardinalem, Apostolicae Sedis Legatum, tota fere terra quam idem Marcovaldus habuerat in Marchia, sit divino munere in manu forti et brachio extento ad dominium Ecclesiae revocata, munitionibus eius, in quibus spem suam posuerat, redactis in cinerem et favillam. Nos etiam thesauris Nostris in nullo pepercimus; immo etiam non modicam pecuniae quantitatem ab aliis mutuantes, dilectum filium I. tituli Sanctae Pudentianae Presbyterum Cardinalem, Apostolicae Sedis Legatum, et cum eo dilectum filium O. Subdiaconum consobrinum nostrum cum eadem pecunia in Marchiam ad Comites, Barones et alios Regis et Regni fideles duximus destinandos; qui iam validum coeperunt exercitum congregare. Fecimus quoque a multis Comitibus, Baronibus, civibus, et aliis multis carissimo in Christo filio nostro Friderico illustri Regi Siciliae innovari fidelitatem; et Nos super tutela ipsius et Regni balio per eorum reddi iuramenta securos. Licet autem vobis per litteras Nostras dederimus in mandatis, ut in custodia Regis et cura Regni usque ad adventum Legati fungeremini vice nostra; ut melius tamen vobis benigna intentio nostra pateret, dilectum filium G. Sanctae Mariae in Porticu Diac. Cardinalem, apostolicae Sedis Legatum, in Siciliam duximus destinandum, qui, sicut vir providus et discretus, vices Nostras exerceat in utroque. Cum igitur pium mentis Nostrae propositum, quod circa tutelam Regis et Regni quietem gerimus, per Nos non debeat retardari, et praedicta Imperatrix ad resistendum turbatoribus Regni de thesauro Regis et regni proventibus sufficientem Nobis mandaverit pecuniam ministrari, et iuxta quod ex relatione nuntiorum vestrorum accepimus, vos id parati sitis implere, cum melius sit simul et semel expendere quam expensas amittere successive, ut Rex et Regnum ab eius defendantur incursu qui non solum rerum et bonorum excidium, verum etiam personarum periculum meditatur; fraternitatem vestram rogamus, monemus et per Apostolica vobis scripta mandamus, et districte praecipimus, quatenus cum negotium dilationem non capiat, et tutius et facilius obvietur principiis, quantamcumque pecuniam poteritis tanto negotio necessariam per discretos fideles et providos nuntios transmittatis, in stipendia exercitus et alia quae instantis necessitatis articulus postulat convertendam. Si

enim solliciti procuratores existitis et cauti custodes, non debetis parcere rebus ubi periculum vertitur personarum, nec causas dilationis innectere ubi gladius non cessat hostilis. Nostis enim, non solum per auditum, sed etiam per experientiam, tyrannidem Marcovaldi. Nostis qualiter eo procurante non solum eiusdem Regni Principes saeculares, verum etiam maiores Ecclesiarum Praelati damnati fuerint exilio et vinculis ferreis alligati. Nostis etiam et notitiae huius memoria vestris oculis iugiter inculcatur, qualiter Nobiles vestri facti sunt membrorum mutilatione deformes. Scitis quod si Marcovaldus priori potentatu usque hodie potiretur, nec semen etiam nobilium in regno reliquisset, nec aetati, nec sexui, sicut incoeperat, pepercisset. Scitis etiam qualiter Viros ecclesiasticos et alios quosdam viros fecerit flamma torreri, quosdam sagimine liquenti peruri, quosdam in maris praecipitari profundum; et ex praeteritis qualiter futurus sit vobis et Regno, si eam quam credimus discretionem habetis, intelligitis manifeste, qui iusto Dei iudicio in eos amplius et crudelius desaevit qui ei in Regni proditione amplius serviverunt. Experti estis astutiam eius, et frequentiam peierandi, et quod fidem non servet fideli testimonio didicistis. Providete igitur Regi et Regno, immo etiam vobis ipsis; et iuxta mandatum Imperatricis eiusdem, quae talia futura quasi praescia mente praevidit, tantam pecuniam ministretis, quod praedictus Marcovaldus hostis Dei, Ecclesiae inimicus, persecutor Regni, qui cum omnibus familiaribus et participibus suis excommunicationis est vinculo innodatus, non solum praevalere non possit, immo nec fugere valeat, et nunc taliter conteratur quod de cetero Regnum ab eius sit vexatione securum. Oportet enim vos sollicitos et studiosos existere, ut exacta diligentia procuretis quod homines Regni ad resistendum ei potenter ac viriliter se accingant, et sano pariter ac concordi consilio dirigantur, ne si forte vos et ipsi ex illa parte remissi aut otiosi fueritis, studium Nostrum ex hac parte, quod circa multa versatur, minus efficax habeatur; propter quod culpa non levis in caput vestrum debeat retorqueri. Speramus autem, quod haec et alia, quae imminent facienda, fideliter adimplebitis, tum ex debito fidelitatis, quo Nobis et Ecclesiae Romanae tenemini et etiam ipsi Regi, tum ex officio quod vobis incumbit, ad quod utiliter exequen-

dum favor Apostolicus vobis non deerit opportunus; quin etiam ad honorem et profectum vestrum, si sollicitam fidem et fidelem sollicitudinem in vobis experti fuerimus, ut speramus, efficaciter intendamus. Nos autem interim assidue procuramus, ut de Lombardis, Thuscis, Romanis, Campanis et aliis adiacentibus provinciis validus exercitus congregetur, per quem dictus Marcovaldus vel fugetur quam citius, vel irreparabiliter conteratur. Ad quae procuranda, rectores Thusciae apud Urbem fecimus convenire, cum quibus ita procuravimus, quod duo millia militum, vel ad minus mille quingentos, Nobis sine solidis, in moderatis tamen expensis, similiter et pedites et archarios quot necessarii fuerint, ad mandatum nostrum in Regni subsidium destinabunt, per quos, dante Domino, nisi per vos steterit, reportabimus de inimicis Regni triumphum. Volumus etiam nihilominus et mandamus, ut nos super tutela Regni balii ante omnia vestro reddatis iuramento securos, et iuxta providum dicti Legati consilium tam nostras quam Regis per universum Regnum litteras per nuntios idoneos destinetis, ut omni dilatione et excusatione cessante, vestrum imitantes exemplum, id debeant adimplere. Datum Laterani octavo kal. Februarii. - BALUTII, tom. I. (80).

LXXXI.

(ANNO 1203)

Ut in fidelitate et devotione Sedis Apostolicae omnes permaneant in Apulia et Calabria.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Comitibus, Baronibus, Civibus et universo populo in Apulia et Calabria constitutis.* — Satis hactenus manus teutonica Regnum turbaverat, satis attriverat opes eius, satis ipsum viribus et viris exhauserat, ut non denuo moliretur excidium, nec quieti eius et paci aliquatenus invideret. Verum Marcovaldus, Dei et Ecclesiae inimicus, antiquus Regni Siciliae persecutor, qui quondam Imperatoris animum ad eamdem nobilium et pauperum oppressionem, mutilationem potentum, et magnatum exilium iniquitatis suae inducebat, qui muros et munitiones civitatum, ne a se iugum possent excutere servitutis, redigebat in pulverem et favillam, ut quod tunc

eius proposito defuit, inique valeat consumere, ut videlicet urbes convertat in villas, et eorum augeat servitutem; Regnum iterum est ingressus, et prioribus peiora committit, pessima commissurus, si (quod absit) potuerit praevalere. Contra quem universos habitatores Regni praecedens eius iniquitas, sicut credimus, sufficienter inducit; utpote cum vix in Regno vel unus etiam valeat inveniri, qui eo procurante in se vel in suos gravaminis causam non senserit, et adhuc etiam materiam habeat deplorandi. Debent enim homines Regni ad memoriam revocare, qualiter quidam eorum in exilium ducti, membrorum facti sunt mutilatione deformes; qualiter quidam igniti sagiminis liquore perusti, quidam flammis traditi, quidam in maris praecipitati profundum, ad colla eorum molari lapide alligato; qualiter civitates sint muris discinctae, qualiter divites pauperes cum Ecclesiis spoliati; et ad tantae crudelitatis memoriam non solum ipsum persequi, sed et nomen eius et contra eum unanimiter convenire. Scientes autem fidelitatis vestrae constantiam, quae inter adversa semper magna eluxit, praedicto Marcovaldo nullatenus consentire universitatem vestram monemus, rogamus et exhortamur attentius, ac per Apostolica vobis scripta mandamus, quatenus in carissimi in Christo filii nostri F. Siciliae Regis illustris fidelitate ac devotione Sedis Apostolicae solita fortitudine persistentes, eidem Marcovaldo, qui cum omnibus fautoribus et participibus excommunicationis est vinculo innodatus, potenter et viriliter resistatis, nec residuum libertatis vestrae patiamini suffocari. Nos enim, si super hoc Nostris pareatis monitis et mandatis, ad honorem et profectum dante Domino intendemus. Illud autem vos nullo modo deterreat, quod burgum S. Germani noscitur occupasse; cum non suae virtutis sed sed habitatorum ipsius timidati sit penitus adscribendum, qui eum deseruerant ex toto. Milites enim omnes abierunt illaesi; et apud Montem Cassinum, locum utique munitissimum et necessariis abundantem, intrepidi perseverant: contra quos cum exercitus Marcovaldi fecisset insultum, sicut accepimus, turpiter est fugatus, multis occisis et pluribus vulneratis. Et forte divina factum est providentia, ut illic inaniter occupetur, ut interim vos et alii contra eum vires vestras fortius praeparetis. Volumus igitur et mandamus, ut, ne qui falsis rumoribus seducantur, haec per Regnum

faciatis publice nuntiari. Nos autem, licet hactenus contra eum milites studuerimus congregare, nunc tamen de Imperatricis dispositione certiores effecti, per scriptum Nobis a venerabilibus fratribus Panormitano, Capuano, Rhegiensi, Montis Regalis Archiepiscopis et Troiano Episcopo sub eiusdem Imperatricis bulla transmissum, ad defensionem Regni tanto amplius adspiramus, quanto plus praeter debitum officii pastoralis de statu et quiete ipsius tenemur specialius cogitare. Verum, ne quid ex contingentibus omittamus, dilectum filium nostrum I. tituli S. Pudentianae Presbyterum Cardinalem et Apostolicae Sedis Legatum ad dilectos filios nobiles viros P. Celanen. et R. Theatin. Comites, quos vere fideles Regni et Ecclesiae Romanae devotos invenimus, cum non modica pecuniae quantitate in stipendia militum eroganda dirigimus; ut per eos et militum nostrorum subventio, et defensio Regni celeriter et utiliter procuretur. Studete igitur omnes et singuli taliter praeparari, ut pro Regni defensione resistatis violentiae Marcovaldi, qui perpetuae vos nititur tradere servituti. – BALUTII, tom. I. – (81).

LXXXII.

(ANNO 1203)

De fidelitate et devotione servanda Friderico Siciliae Regi.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Prioribus et universo Clero per Calabriam et Apuliam constitutis.* — Is qui beatum Petrum in fluctibus ambulantem ne mergeretur erexit, et pro eo rogavit ne deficeret fides eius, ipsius naviculam, licet magnis fluctibus iactetur interdum, non patitur naufragari; sed tempestatem in tranquillum convertens et aquilonem in austrum, tunc eam mirabilius suae potentiae dextera gubernat, cum pene mergi fluctibus, pene ventorum videtur impetu conquassari, iuxta verbum Prophetae dicentis: *In tribulatione dilatasti mihi.* Qui enim eidem Apostolorum Principi potentiam calcandi super scorpiones indulsit, ipse ab Ecclesiae facie prava in directa et aspera in vias planas immutans, omnia subiicit sub pedibus eius, et eam de humili exaltat in altum.

Sane qualiter diebus nostris et vestris persecutio invaluerit contra eam, qualiter visa fuerit conculcari, et qualiter Domino faciente cum ea signum in bonum instantia fuerit persecutoris elusa, et ipsa in statum redierit felicitatis antiquae, ac in eo augmentum susceperit in quo videbatur dispendium incurrisse, patet omnibus manifeste. Innovator etenim veterum et inveterator novorum Dominus Iesus Christus veterem Ecclesiae Romanae ac Regni Siciliae unitatem, quae quodammodo fuerat passa scissuram, innovare ac roborare disponens, et innovatam et roboratam in longaevae dirigere saecula vetustatis; inclytae recordationis Constantiae Imperatrici pium inspiravit affectum, ut carissimum in Christo filium nostrum Fridericum Siciliae Regem illustrem Nostrae tutelae committeret, et Regni balium Nobis relinqueret testamento, sicut et vos ipsi audistis, et Nos certiores reddidit ipsius transmissi nobis inspectio testamenti. Unde cum de salute Regis eiusdem et Regni statu sit a nobis sollicitius cogitandum, et propter hoc Regnum ingredi disponamus, ut ad introitum nostrum pax ipsi reddatur, immo praeveniat potius nostrum ingressum, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus et districte praecipimus quatenus in fidelitate Regis eiusdem et devotione Sedis Apostolicae firmiter persistatis, inimicis Regni et Ecclesiae iuxta debitum pontificalis officii resistentes, et ad resistendum viriliter inducentes laicos vestrae iurisdictioni subiectos. Exponite singulis, et per universam parochiam vestram faciatis exponi tyrannidem Marcovaldi, cuius consilio Nobiles vestri passi exilium, et ferreis vinculis alligati, facti sunt membrorum mutilatione deformes; quo procurante, Magnates vestri, etiam Clerici, fuerunt ignis ardore consumpti, quidam adusti liquenti sagimine, quidam undis submersi: qualiter omnes et singuli vel in personis vel rebus plurimum praegravati, et praegravandi ulterius, si (quod absit) in eis poterit praevalere. Ut enim urbes in villas redigat, nobiles et potentes subiiciat servituti, personas rapiat et bona diripiat impotentum, patribus filias surripiat violenter, et maritis uxores, immo etiam ut indigenas universos eiiciat, et alienos in indigenarum labores inducat; ne ipsum denuo de Regno contingat expelli, Regnum denuo est ingressus, et prioribus peiora committit. Cum autem iampridem propter suos

excessus cum universis fautoribus et participibus suis a Nobis excommunicationis vinculo fuerit innodatus; volumus nihilominus et sub eadem districtione mandamus, ut ipsum et universos complices eius singulis diebus dominicis et festivis, pulsatis campanis, et candelis extinctis, excommunicatos publice nuntietis. Universos etiam, qui ei vel in occupatione Regni vel aliis favere praesumpserint vel qui litteras vel nuntios eius in Regis et Regni susceperint detrimentum, vel suas ei praesumpserint destinare, eadem sententia innodetis universas Civitates, castella, villas et Ecclesias, ad quas forte devenerit, eo praesente subiacere denuntietis sententiae interdicti. Ad haec, ea quae venerabilis frater Noster Tarentinus Archiepiscopus, vir utique providus et fidelis, qui tam Ecclesiae quam Regni diligit incrementum, vobis ad commodum utriusque duxerit proponenda, indubitata fide credatis. – Balutii, tom. I. – (82).

LXXXIII.

(Anno 1203)

Laudes et exhortationes in tribulationibus.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Consentino Archiepiscopo.* — Legisse te credimus et per experientiam didicisse, quod avis ad volatum et homo nascitur ad laborem. Militia enim est vita hominis super terram. Quod cum habeat ex conditione naturae, nihilominus imminet illud ei ex praecepto dicentis: *Labora sicut bonus miles Christi Iesu.* Reddet namque Dominus sanctis suis mercedem, non solum fructuum, sed laborum. Cuius expers non fuit Apostolus, qui dicebat: *Plus coeteris laboravi:* non dicens, *plus ceteris fructum feci.* Quia igitur ostendere Dominus tibi coepit quanta te oporteat pro nomine suo pati, et hostis tuus congredientem te secum terribilibus oculis est intuitus, ita ut colluctatio tibi adversus carnem et sanguinem non sit tantum, sed adversus spiritualia nequitiae in coelestibus, ad fortia te decet mittere manum tuam, et cunctis diebus quibus nunc militas donec veniat immutatio tua fiducialiter expectare, ne, quod absit, dicentibus tibi tentatoribus tuis: *Incurvare ut transeamus,* a statu

tuae rectitudinis inclineris, et cadere incipias ante illos. De quibus oportet te dicere cum effectu: *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos, et donec deficiant non convertar*. Proinde fraternitatem tuam monemus attentius et exhortamur in Eo, qui est in se sperantium fortitudo, quatenus in pugna quam contra te per ministros suos universae terrae malleus incitavit, non deficias, sed proficias, et adversus principes et potestates harum tenebrarum invicta mente resistas. Deus enim fluctuationem in aeternum iusto non dabit; nec tentari te patietur ultra quam valeas sustinere. Propter quod, si consistant adversus te castra, non timeas; immo sicut de viro constante legitur, si fractus orbis collapsus fuerit, impavidum te ruinis perferendum esse confidas; ut tandem cum in huiusmodi bello fortis inventus fueris, et pugnam superaveris serpentis antiqui, Is qui calcandi super serpentes et scorpiones tibi contulit potestatem, cum illis quibus dicturus est: *Venite ad me, qui laboratis et onerati estis*, vincenti tibi de ligno vitae, quod est in paradiso Dei tui, det edere, teque faciat pro laboribus transitoriis requie sempiterna gaudere. Datum Romae apud S. Petrum secundo kal. Februarii, anno decimo. – BALUTII, tom. 1 – (83).

LXXXIV.

(ANNO 1203)

Pro causa cum quodam Presbytero.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Capitulo Balneariae.* — Olim ad instantiam ven. Presbyteri conquerentis quod Ecclesiam quam ei de consensu vestro Prior vester sub annua pensione concesserat, et quam ipse animalibus multis ditaverat, abstulisset et extendisset manum ad personam pariter et res eius, astringens eum ferreis vinculis, ad Sedem Apostolicam appellantem, causam ipsam venerabili fratri nostro Messan. Archiepiscopo meminimus commisisse. Cum autem ad citationem ipsius, sicut ex litteris eius accepimus, partes in ipsius essent praesentia constitutae; dictus Presbyter ea quae Priori in Ecclesiae receptione contulerat, Prior vero quae ipsi Presbytero pro

concordia dederat, sibi restitui postulabat. Cumque postmodum idem Presbyter et sua sibi restitui et de violentia irrogata iustitiam fieri postularet, Prior ipsum conversum ac professum suum esse asseruit; et ad id probandum quosdam testes induxit, quorum depositiones, Priore postmodum appellante idem Archiepiscopus sub suis Nobis litteris destinavit. Transcriptum etiam quoddam concessionis, quam idem Prior dicto Presbytero super Ecclesia de Castronovo cum omnibus eius pertinentiis concedebat, tali tenore quod eam in domibus, hortis et vineis augmentaret et sexaginta porcos, pullum unum equinum, mulam unam et quadringentos tarenos offerret. Coeterum cum dictus frater ven. propter hoc ad Nostram praesentiam accessisset, Prior vero non procuratorem idoneum sed nuntium minus sufficientem solummodo destinasset, Nos venerabili fratri nostro Montis Regalis Archiepiscopo et P. tunc Regiae Capellae Canonico Subdiacono nostro dedimus in mandatis, ut dictum Priorem in expensas legitimas condemnantes, inter partes, si fieri posset, concordiam reformarent, alioqui, auditis quae proponerentur hinc inde, et rationibus partium plenius intellectis, ita ut nihil restare nisi sententia videretur, gesta omnia redacta in scriptis sub sigillis suis ad Nostram praesentiam destinarent, statuentes partibus terminum competentem quo praesentarent se Nostro conspectui sententiam recepturae. Licet autem, sicut idem Archiepiscopus Nobis per suas litteras intimavit, coniudex ipsius antequam partes vocarentur ad causam, viam fuerit universae carnis ingressus, ipse nihilominus de consensu partium in causa processit, et Priore ad expensas, quas idem Presbyter in via fecerat, condemnato, conquestionem eiusdem Presbyteri super spoliatione, captione ac detentione sua, et Prioris excusationem audivit, ac testes super conversione et susceptione habitus ipsius Presbyteri ex parte Prioris inductos mandavit recipi et audiri, licet idem Presbyter, contra id quod prius promiserat, receptioni eorum noluerit interesse. Fuerunt etiam pro eodem Presbytero quidam ad testimonium advocati, qui non iurati deposuerunt Presbyterum ipsum fuisse carceri mancipatum. Verum cum postmodum idem Presbyter et frater Io. Canonicus Balneariae procurator ad hanc causam specialiter constitutus, ad Nostram praesentiam cum eiusdem

Archiepiscopi litteris accessissent; Nos eis dilectum filium nostrum G. sanctae M. in Cosmedin Diaconum Cardinalem concessimus auditorem. Qui cum omnia quae coram eo recitata fuerant, ad Nostram praesentiam retulisset, nos intelligentes sufficienter fuisse probatum per testes ipsum in domo Balneariae fecisse professionem, suscepisse habitum et portasse, ipsum esse professum eiusdem Ecclesiae per sententiam difinivimus, et ab impetitione ipsius super his quae sibi restitui postulabat sententialiter absolvimus Ecclesiam memoratam; adiicientes, ut quia pro Ecclesia de Castronovo, sicut ex assertione ipsius et concessione Prioris patuit, reatum contraxerat simoniae, ad eam de coetero nullatenus revertatur. Quia vero Prior vester non minus immo magis in hoc deliquisse videtur, volumus et mandamus ut usque ad festum Omnium Sanctorum nostro se conspectui repraesentet, rationem Nobis super contractu simoniaco redditurus. Nulli ergo etc. Datum Laterani decimoquarto kal. Augusti. - BALUTII, tom. I - (94).

LXXXV.

(ANNO 1203)

Pro Ecclesiis S. Dominicae et S. Barbarae in dioecesi Tropien.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis Priori et fratribus S. Dominicae salutem et Apostolicam benedictionem.* — Licet neque qui plantat, neque qui rigat sit aliquid, sed cui dat Dominus incrementum; sacrae tamen Religionis palmites plantare debemus, et eius propagines propagare ac rigare sollicite quod propagatum fuerit, vel plantatum, ut non proficiat, sed deficiat nova planta et non crescat, sed arescat potius novus palmes, si priusquam in terra truncus eorum fuerit radicatus, sol aut ullus aestus caleat super eos. Cum igitur in Monasterio vestro de S. Dominica de novo sacrae Religionis observantia sit plantata, Monasterio Floris ad eam suos palmites extendente, ut planta huiusmodi Apostolica etiam manu rigetur, et per Nos post Deum recipiat incrementum, Monasterium ipsum de S. Dominica in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri et Nostra protectione suscipimus, et praesentis scripti patrocinio

communimus. Statuentes, ut Ordo Monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti regulam atque institutionem Florentium Fratrum in eodem loco institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Praeterea quascumque possessiones, quaecumque bona idem Monasterium in praesentiarum rationabiliter possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Régum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. Specialiter autem Ecclesiam ipsam S. Dominicae, et Ecclesiam S. Petri et S. Barbarae cum universis possessionibus et pertinentiis suis, quas venerabilis frater noster Richardus Tropaeensis Episcopus cum consensu Capituli sui, retento sibi solummodo censu trium librarum cerae, Tropaeensi Ecclesiae pro illarum possessionibus annis singulis exhibendis, pia vobis intentione concessit, sicut eas iuste et pacifice possidetis, vobis et per vos successoribus vestris monasticum Ordinem servaturis auctoritate Apostolica confirmamus. Districtius inhibentes, ne dictus Episcopus vel Successores ipsius, aut Tropaeenses Canonici aliud, vel amplius a vobis et a Monasterio vestro exigere vel extorquere praesumant, quam in concessione sua idem Episcopus Tropaeensi Ecclesiae reservavit, cuius concessionis tenorem nobis sub venerabilis fratris nostri Consentini Archiepiscopi, et dilectorum filiorum Decani et Cantoris Consentinensium sigillis, dilecti filii Matthaei Florensis Abbatis manibus praesentatum et roboratum tam subscriptionibus praedictorum, quam dilecti filii Thesaurarii Consentini ad maiorem cautela de verbo ad verbum praesenti paginae duximus inserendum. Hic autem est tenor ipsius etc. – UGHELLI, tom. IX – (85).

LXXXVI.

(ANNO 1207)

Pro Ecclesia Miletensi contra aliquot abusus.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei*, *Consentino Archiepiscopo et Episcopo Marturanensi.* — Sedens iniquitas super talentum plumbi quosdam malitiae perversitate gravatos tam miserabiliter in vitiorum ima depressit, ut laetantes cum

malefecerint, ac in rebus pessimis exultantes, ex quadam delinquendi consuetudine in tantae praevaricationis devenere contemptum, ut licet per multimodae transgressionis excessus contra se non immerito provocent iram Dei, ad Ecclesiam tamen et ecclesiasticos viros in reprobum sensum dati, manus extendere non formident, ipsorumque bona praesumptuosis auribus invadentes, et dantes in direptionem et praedam. Credebamus sane quod vexatio dedisset intellectum auditui, et Nobiles Regni Siciliae diutinae tribulationis aculeis docuisset per iustitiae semitam ambulare. Sed (quod dolentes dicimus) videntur eorum aliqui inter flagellorum malleos duruisse, dum eo minus ab illicitis abstinent, quo potius persecutionis acerbitas invalescit. Sicut enim venerabilis frater noster Petrus Miletensis Episcopus graviter conquestus est coram Nobis, nobilis vir Comes Amphusus, Ecclesia Miletensi vacante, turrim ipsius, in qua consueverant esse campanae fraudolenter invadens, Comiti R..... fratri suo adsignavit eamdem, qui tam Episcopum ipsum quam Ecclesiam suam intolerabili vexatione fatigans, domos episcopales, et Canonicorum etiam et clericorum Miletensium occupavit, illas ad usum suum et suorum minus honeste quam deceat retinendo. Frumentum insuper, vinum, hordeum et alia bona tam Episcopi, quam Ecclesiae capiens, ipsa pro suae voluntatis arbitrio dissipat et consumit, ac homines eiusdem Ecclesiae indebitis angariis et gravibus gravaminibus non desinit molestare. Praeterea Canonicos et clericos Miletenses sine causa rationabili saepe capiens, quosdam bonis propriis spoliat, quosdam tamdiu detinet carcerali custodia mancipatos, donec ipsos ad intolerabilem fere redemptionem adducit. Dictus etiam Comes R..... cum quoddam castrum de novo construxerit, et homines Ecclesiae nequiret inducere ut habitarent ibidem, casale de Karna ad eamdem Ecclesiam pertinens dissipavit, eosdem homines de locis propriis expellendo. Idem quoque Comes Amphusus dum turrim praedictam et Ecclesiam occupavit, pecuniam, equitaturas, frumentum, vinum, hordeum, et alia nonnulla violenter accepit, de quibus postmodum nullatenus satisfecit. Et in iis et multis aliis iidem Comites usque adeo persequuntur memoratum Episcopum et affligunt, ut suam Ecclesiam deserere sit coactus. Cum

igitur haec et alia gravamina, quae idem episcopus nobis exposuit, nolumus, quia non possumus, sub dissimulatione transire, fraternitati vestrae per apostolica scripta districte praecipiendo mandamus, quatenus inquisita super praemissis plenius et cognita veritate, praedictos Comites moneatis attentius, et efficaciter inducatis ut eidem Episcopo tam domos episcopales, canonicorum, et clericorum, et turrim iam dictam, quam alia quae abstulisse noscuntur, sine difficultate qualibet restituant, ut tenentur, et permittant pacifice possidere, de damnis et iniustitiis irrogatis satisfacientes competenter eidem. Alioquin ipsos per totam Calabriam et Siciliam auctoritate Nostra denuncietis excommunicationis vinculo innodatos, et totam terram eorum ecclesiastico suppositam interdicto, facientes tam excommunicationis quam interdicti sententiam, sublato appellationis obstaculo usque ad satisfactionem condignam observari. Volumus insuper et mandamus, ut generaliter indicere studeatis, et in quamcumque terram interim venerint iidem Comites, divina officia eis praesentibus nullatenus celebrentur. Quod si non ambo, alter vestrum etc. Datum Viterbii octavo kal. Septembris, anno decimo. – BALUTII, tom. II – (86).

LXXXVII.

(ANNO 1210)

De controversia inter Florenses et Curiacenses Monachos.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo, Decano et Cantori Consentiae, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Inter dilectos filios Abbatem et Conventum de Flore et Monachos Curiacenses super Ecclesia Calabro Mariae, quam ipsi Curiacenses cum suis pertinentiis ad suum Monasterium de iure spectare dicebant, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus quod a Nobis est sententialiter definitum, vos per censuras ecclesiasticas, sublato cuiuslibet contradictionis et appellationis obstaculo, faciatis inviolabiliter observari. Quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, tu ea, fratrer Archiepiscope, cum eorum altero nihi-

lominus exequaris. Datum apud Cryptam Ferratam, secundo kal. Septembris, Pontificatus Nostri anno quartodecimo. – UGHELLI, tom. IX. – (87).

LXXXVIII.

(ANNO 1211)

De eadem quaestione inter Florenses et Curiacenses.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati et Conventui de Flore, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Inter vos et Monachos Curiacenses super Ecclesia Calabro Mariae, quam ipsi cum suis pertinentiis ad suum Monasterium de iure spectare dicebant, et a vobis minus licite detineri, diu est quaestio agitata; sed tandem venerabilibus fratribus nostris Squillacensi et Marturanensi Episcopis et dilecto filio Abbati Sambucinae de consensu partium a Nobis sub hac forma commissa, ut partibus convocatis audirent hinc inde praeposita, et usque ad calculum definitivae sententiae appellatione postposita procedentes, si de partium existeret voluntate, causam ipsam sine debito terminarent. Alioquin eamdem sufficienter instructam sub sigillis suis Nobis transmittere procurarent, praefigentes partibus terminum, competentem, quo se nostro conspectui praesentarent, sententiam recepturae. Partibus igitur in ipsorum praesentia constitutis, proposuerant Curiacenses Monachi coram ipsis, quod cum ipsi pro notitia mutua et caritate fraterna quam cum Abbate et Monachis Calabro Mariae habuerunt, eisdem Abbati et Monachis pecunia laborantibus opportuna frequenter subsidia ministrassent. Demum eodem Abbate defuncto, Oeconomus eiusdem et Monachi tum quia eorum Monasterium collapsum erat in rebus temporalibus, tum quia ob paupertatem eorum illud per illos regi non poterat opportune, dictum Monasterium, quantum eisdem licuit, obtulerunt cellerario Curiacensi, recipientes ab ipsis postmodum per eorum Oeconomum tam indumenta, calceamenta, corrigias, quam etiam alia necessaria praeter victum, qui suppetebat eisdem Monachis competenter. Sed quia id sibi absque Regis consensu, quem asserebant patronum ipsius Ecclesiae prin-

cipalem, ad vindicandam prorsus ipsam Ecclesiam sufficere non credebant, carissimi in Christo filii nostri Friderici Siciliae Regis illustris privilegium per manus venerabilis Fratris nostri G. de Palearia Regni Siciliae Cancellarii super eadem Ecclesia impetrarunt, confirmatione Capituli S. Severinae, in cuius Dioecesis dictum Monasterium est constitutum, super eodem per litteras post obtentas. Insuper etiam adiacerunt ipsi Monachi Curiacenses, quod Metropolitanus eorum, videlicet Archiepiscopus S. Severinae, secundo die post consecrationem suam et factum praefati Capituli, et dictum eiusdem, Ecclesiam confirmavit, ipsis exinde privilegio assignato; et cum haec omnia per testes ab eis sint sufficienter probata super proprietate Ecclesiae memoratae, proponebant suam iis plenius intentionem esse fundatam. Praeter haec autem Curiacenses ipsi adversus vos etiam intentarunt, quod cum vobis in iis omnibus suum consilium propalaverint, et vos super narratis fratribus eisdem auxilium et consilium promiseritis impensuros, vestrae postmodum promissionis obliti, et ad nobilem virum Petrum Guiscardi, qui erat illius terrae dominus, accedentes, Monasterium illud ab eo concedi vobis cum instantia postulastis. Sed cum idem id vobis primitus denegasset, interventu coniugis suae tandem annuit benevole votis vestris. Eo itaque sic obtento, iam dictae S. Severinae Canonicis pro ipsa vobis Ecclesia concedenda precibus postulatis; super quod licet emissae preces, pro eo quod electus eorum erat apud Sedem Apostolicam constitutus a principio, frustrarentur, comminationibus tamen eiusdem Nobilis de propriis eis auferendis uxoribus, cum sint Graeci, sibi acriter intentastis, ipsam vobis Ecclesiam iidem confirmaverunt inviti. Post haec vero praenominato electo a Sede Apostolica redeunti extra sedem propriam occurristis, ipsam vobis Ecclesiam petituri; sed cum repulsam pateretur vestra petitio in hac parte, pro eo quod idem electus nondum sedem propriam visitaverat, per impressionem tandem et violentiam Nobilis memorati praedictam vobis Ecclesiam compulsus est confirmare. Ad haec autem vos in nostra praesentia respondistis e contra. Qua licet Ecclesia ipsa per Oeconomum et Monachos supradictos concessa fuisset Monasterio Curiacensi, prout ipsius Monachi astruebant, concessionem talem his rationibus

dicebatis penitus non tenere, tum quia per illos eadem facta fuerat qui personae non extiterant principales, Ecclesia tunc vacante, tum etiam quoniam longe ante per Carolum quondam dicti loci Calabro Mariae Abbatem, de consensu et voluntate suorum Fratrum tempore bonae memoriae Ioachimi primi Abbatis vestri, dicta Ecclesia vobis concessa fuerat, et post ipsius Caroli obitum per eiusdem Monachos ipsius concessio extiterat pluries innovata, processu temporis non per impressionem, vel violentiam Nobilis antedicti, sed potius mera eorum et libera voluntate; assignando nihilominus rationes, quod privilegium antedictum Curiacensium non suffragaretur in aliquo, quia praedicta concessio, quae facta fuerat minus iuste per illud non intelligitur rationabiliter confirmata, maxime cum notam expressam contineat falsitatis, cum legatur in ipso, quod Panormi per manus iam dicti Cancellarii eo tempore datum fuerit, quod idem utique non Panormi, sed alibi longe a Panormo manebat, et Rex cuius auctoritate fieri videbatur, tunc temporis non custodiretur ab ipso, sed a Guillelmo Capparone temere teneretur, qui etiam verum sigillum detinebat ipsius. Ad excusandum nempe privilegium supradictum praemissis pars Monachorum Curiacensium replicando respondit, quod cum dictus Cancellarius a clarae memoriae Constantia Imperatrice ordinarius totius Regni, et Regis administrator extiterit constitutus, id potuit facere ipsius Regis auctoritate licenter, utpote qui vices gerebat Regis in hac parte. Insuper Curiacenses etiam Monachi addiderunt, quod etsi dictum privilegium per manus Cancellarii ob praemissa obtinere non posset robur debitae firmitatis, censeri debet validum pro eo quod dictus Rex illud ex certa scientia postmodum confirmavit, cum ratihabitio retro trahatur et mandato comparetur iuxta legitimas sanctiones, nihilominus proponentes quod etsi neutrum privilegium deberet legitimum iudicari, ultimum ei debebat sufficere, quod idem Rex, postquam uxorem traduxit super eadem ecclesia concessit Monasterio Curiacensi. Caeterum pars vestra ex adverso respondit, quod si confirmationem aliquam obtinuerunt de privilegio supradicto Curiacenses, ipsa nullius erat roboris vel rigoris, quia cum ipsum privilegium a principio irritum extitisset, rata esse non poterat obtenta taliter confirmatio super

eo, assignantes talem de privilegio ultimo rationem, quod de ipso non emolumentum sed poenam deberent ipsi Monachi potius reportare; quia cum iam quaestio ipsius Ecclesiae ad Nostrum fuerit examen deducta, petierunt sibi rem litigiosam per potestatem saecularem concedi, seu etiam confirmari. Contra confirmationem autem seu concessionem Archiepiscopi allegastis, quod rem a vobis possessam, maxime postquam in litem deducta extitit, et ad censuram examinis Nostri perlata unde concessio vel confirmatio huiuscemodi nullius debeat censeri valoris, propter quae super Ecclesia supradicta silentium imponi Curiacensibus Monachis, et ab ipsorum impetitione absolvi penitus petebatis. Cum vero dicti Iudices super causae meritis ad invicem discordarent, et partes causam ipsam Nostro potius quam eorum optarent iudicio terminari, tam ipsam causam quam partes cum rationibus, quae pertinebant ad eam iuxta mandati nostri tenorem ad Nostram praesentiam remiserunt. Demum dilectis filiis Nicolao Curiacensi et Hugone Priore S. Georgii, et Ioseph vestris monachis Nostro conspectui praesentatis, et quae acta fuerant coram Iudicibus supradictis, et alias rationes Nobis exponere procurantibus; Nos illis diligenter auditis et perspicaciter intellectis, vos ab impetitione Curiacensium super eadem Ecclesia per definitivam sententiam prorsus absolvimus, eisdem super ipsa perpetuum silentium imponentes, praesertim cum illis Regulam et Institutionem Cisterciensis Ordinis ab ipsa Monasterii fundatione professis absque superioris dispensatione licitum non extitit ad obtinendum sic Ecclesiam laborare. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostrae definitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum apud Cryptam Ferratam, secundo kal. Sept., Pontificatus nostri anno decimoquarto — UGHELLI, tom. IX. – (88).

LXXXIX.

HONORIUS PP. III.

(ANNO 1216)

Acta Episcopi et Capituli Tropiensis pro Monasterio Fontis Laureati confirmat.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis Abbati et Conventui Fontis Laureati, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Cum a Nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis, ut id per sollicitudinem officii Nostri ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus grato concurrentes affectu, libertates ac immunitates a bon. mem. Tropiensi Episcopo, de Capituli sui consensu, vobis et per vos Monasterio vestro indultas, et donationem S. Dominicae iuxta quam dictum Monasterium situm est, et S. Petri Ecclesiam ab eisdem Episcopo et Capitulo vobis factam, sicut pie ac provide facta est, et in eiusdem Episcopi litteris proprio sigillo munitis et Canonicorum suorum subscriptionibus roboratis plenius continetur, vobis et per vos eidem Monasterio vestro auctoritate Apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Ad maiorem autem rei evidentiam, tenorem litterarum eiusdem Episcopi de verbo ad verbum praesentibus duximus inserendum, cuius tenor talis est.... Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Laterani, decimo kal. Novembris, Pontificatus Nostri anno primo. *Ego Honorius Catholicae Ecclesiae Episcopus.* – Nicolaus Tusculanus Episcopus. – Guido Praenestinus Episcopus. – Hugo Hostiensis Episcopus. – Pelagius Albanensis Episcopus. – Cynthius tit. S. Laurentii in Lucina Presb. Card. – Leo tit. S. Crucis Presb. Card. – Stephanus Basilicae Duodecim Apostolorum Presb. Card. – Gregorius tit. S. Anastasiae Presb. Card. – Petrus tit. S. Laurentii

in Damaso Presb. Card. – Thomas tit. S. Sabinae Presb. Card. – Guido Diac. Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano. – Octavianus Diac. Card. SS. Sergii et Bacchi. – Ioannes Diac. Card. SS. Cosmae et Damiani. – Gregorius Diac. Card. S. Theodori. – Raynerius Diac. Card. S. Mariae in Cosmedin. – Romanus Diac. Card. S. Angeli in Foro Piscium. – Stephanus Diac. Card. S. Adriani. – UGHELLI, tom. IX – (89).

XC.

(ANNO 1216)

Iura et privilegia Monasterii de Carra, sub regula S. Basilii.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Nifo Abbati S. Mariae de Carra eiusque Fratribus tam praesentibus quam futuris religiosam vitam professis in perpetuum.* — Religiosam vitam eligentibus etc. etc. Praefatum Monasterium S. Mariae de Carra, quod B. Petri iuris existit, in quo divino estis obsequio communimus, in primis statuentes, ut Ordo monasticus qui secundum Deum et B. Basilii Regulam in eodem Monasterio institutus esse dignoscitur, observetur etc. Pro quo locum ipsum, in quo praefatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; Casale novum cum hominibus et pertinentiis suis; tenimentum de Insulis cum domibus, vineis, terris, pratis, pascuis, nemoribus, hortis, molendinis, aquis, olivetis et aliis pertinentiis suis; tenimentum de Basilico cum terris et pertinentiis suis; tenimentum de Sagillosi cum domibus, vineis, terris, pascuis, nemoribus, hortis et aliis pertinentiis suis; tenimentum de Usito cum hominibus, domibus, vineis, virgultis, pratis, hortis, valle, molendino, aquis, pascuis et aliis pertinentis suis; tenimentum de Cusato cum domibus, vineis, terris, olivetis, molendino, aquis et pertinentiis suis; tenimentum de Albo et Monoxilo cum domibus, vineis, terris, nemoribus, molendino, valle, hortis, virgultis et pertinentiis suis; tenimentum de Maurilustra cum hominibus, domibus, terris, vineis, pratis, pascuis, virgultis, nemoribus, molendino, aquis et pertinentiis suis; tenimentum de Briatico cum hominibus, domibus, vineis, terris, cannetis, virgultis, molendinis, aquis

et aliis pertinentiis suis, confirmamus, etc. Ad exemplar etiam fel. record. Alexandri Papae Praedecessoris Nostri statuimus, ut Monasterium vestrum seu vos ipsi nullius Archiepiscopi vel Episcopi aut alicuius Ecclesiasticae personae praeter Romani Pontificis iurisdictioni debeatis aliquatenus subiacere, seu in aliquo respondere. Chrisma vero, Oleum sanctum et Sacramenta a quocumque malueritis suscipietis Episcopo, si quidem Catholicus fuerit. Sepulturam quoque, salva tamen iustitia. Ad haec devotionis tuae, Abbas, merito usum baculi pastoralis tibi personaliter indulgemus. Salva Sedis Apostolicae auctoritate. Ad iudicium autem huiusmodi perceptae a Sede Apostolica libertatis, morabotinum unum Nobis et Successoribus Nostris annis singulis persolvetis. – Datum Romae apud S. Petrum, per man. Ranerii S. Romanae Ecclesiae Vice-Cancellarii kal. Iunii, indictione septima, Incarnationis Dominicae anno millesimo ducentesimo decimo sexto. – UGHELLI, tom. IX – (90).

XCI.

(ANNO 1216)

Pro electione Abbatis SS. Trinitatis Miletensis.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Episcopo et Abbati SS. Trinitatis Miletensis.* — Praesentatae Nobis dilectorum filiorum conventus Monasterii S. Iuliani de Calabria litterae continebant, quod, eorum Monasterio pastoris solatio destituto, ipsi convenientes in unum, sicut moris est, Spiritus Sancti gratia invocata, Grimaldum monacum Montis Regalis, virum utique tam in spiritualibus quam in temporalibus circumspectum, ac litteratura et honestate praeclarum, per electionem canonicam et concordem elegerunt sibi unanimiter in Abbatem. Unde Nobis humiliter supplicarunt, ut cum dictum Monasterium ad Romanam Ecclesiam nullo pertineat mediante, electionem eamdem confirmare misericorditer dignaremur. Quocirca discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus de ipsius electionis modo eligentium studiis et electi meritis veritate plenius inquisita, si electionem ipsam inveneritis de persona idonea et sufficiente

canonice celebratam, eam auctoritate Nostra sub canonica et apostolica obedientia confirmetis, ac faciatis eidem electo munus benedictionis impendi. Alioquin, ea cassata, faciatis eidem Monasterio de persona idonea, quae tanto congruat oneri et honori, per electionem canonicam provideri. Contradictores, si qui fuerint vel rebelles, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compellentes. - Datum Romae apud S. Petrum, quinto idus Decembris, Pontificatus Nostri anno primo. - Ex ARCHIVO VATICANO. - (91).

XCII.

(ANNO 1217)

Ad celebranda divina in utraque lingua latina et graeca.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Ioanni Episcopo Crotonensi, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Cum per Dei gratiam utriusque linguae, graecae videlicet et latinae, peritiam habeas, et utriusque linguae populus in tua dioecesi commoretur; praesentium tibi auctoritate concedimus, ut in utraque lingua, cum videris expedire, tibi divina liceat celebrare, nullum exinde Ecclesiae tuae vel canonicis graecis praeiudicium generando. - Datum Laterani, quinto id. Apr. Pontificatus Nostri anno primo. - Ex ARCHIVO VATICANO. - (92).

XCIII.

(ANNO 1217)

Legatus Apostolicus ad Cruce Signatos eligitur.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Archiepiscopo Consentino.* — Cum Is, qui secundum humanitatis naturam loco et tempore potuit quia voluit comprehendi, secundum tamen Divinitatis omnipotentiam erat sicut et est ubique utpote incircumscriptibilis et immensus, pro suo beneplacito cuncta disponens, Discipulos quos elegerat in mundum destinaverit universum omni creaturae Evangelium praedicare, ac nunc et semper in

sua regnans ineffabili maiestate, faciat spiritus suos Angelos et ministros; Nos, qui, licet immeriti, eiusdem in terris sumus Vicarii constituti, ad eius exemplar ea, quae non possumus exequi per Nos ipsos, iis, qui sunt in partem Nostrae sollicitudinis evocati et tanquam membra capiti Nobis obedire tenentur, committimus exequenda, ut non videatur fieri sine Nobis quod Nobis mandantibus adimpletur. Sane cum fel. mem. Innocentius Papa Praedecessor Noster, inspirante Domino aspirans, ad subsidium Terrae Sanctae disposuerit hoc tempore personaliter accedere in Siciliam, si Dominus annuisset, ut ipsius consilio et auxilio disponeretur salubriter populus Christianus cum benedictione divina et Apostolica profecturus; Nos, qui eidem in onere successimus et honore, si videremus aliquatenus expedire, libenter illuc personaliter venissemus, utpote qui ad promovendum tantum Christi negotium modis omnibus aspiramus. Sed cum gens sine duce ac sine capite procedere videatur, non fuit de Fratrum Nostrorum vel aliorum consilio, ut Nos in Siciliam accedere deberemus; ne si hac vice non impleretur desiderium populi Christiani, crederetur de caetero res penitus desperata. Caeterum ne ibi omnino reputemur absentes, absentiam Nostram per tui praesentiam providimus compensandam; ac tibi fiducialius committentes Christi negotium promovendum, quo te, ad id assumpto Crucis signaculo quam ab olim Apostolo gestam in corde specialius adscripsisti. Quocirca fraternitatem tuam rogamus et monemus attente, per Apostolica scripta mandantes, quatenus personaliter Messanam accedens, ubi Crucesignatorum numerosa multitudo dicitur convenire, ipsis vice Nostra evangelizet, prout Dominus dederit, verbum Crucis, commonefaciendo universos et singulos ut se spiritualibus et materialibus armis provide munientes, simul procedant in vinculo caritatis, ut alii aliorum adiuti subsidiis, pyratorum vel Sarracenorum minus formident incursus. Ex parte autem Nostra, sub poena excommunicationis inhibeas, ne quisquam Sepulchrum Domini audeat visitare, cum nullus nisi Sarracenis soluto tributo illuc accedere valeat Christianus, quod esset spoliare nostros et ditare nostrorum opibus alienos. Ad haec, si vides quod tanta sit Christiani populi multitudo, et taliter praeparata quod melius proficere valeat si ad remotiores partes se transtulerint

quam Anconam, universos et singulos prudenter moneas et inducas ut ad illas partes accedant ubi se valeant in obsequio Iesu Christi efficacius exercere, ne tanquam ad oculum servientes portare Crucem in angaria videantur, et inimici nominis Christiani exinde in audaciam se attollant, unde acriter formidabant se acriter deprimendos. Ad haec, quia de tua discretione ac honestate plenam in Domino fiduciam obtinemus, liberam tibi auctoritate praesentium concedimus facultatem, ut personas debiles et infirmas vel alias paupertate gravatas, quas inutiles esse vides ad subsidium Terrae Sanctae, moneas et inducas, et etiam cum eis auctoritate Nostra dispenses, ut, iuxta proprias facultates, redemptionem itineris et expensas, quas essent in praedicta terra facturae, aliis utilibus illuc transfretantibus, iuxta tuae discretionis consilium, largiantur, concessa eis venia peccatorum, prout est expressum in Concilio Generali. – Datum Anagniae, octavo idus Iulii, Pontificatus Nosti anno secundo. – Ex Archivo Vaticano – (93).

XCIV.

(Anno 1218)

Laudes et exhortationes.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Theodoro Duci Comneno.* — Gratum gerimus et acceptum, quod, sicut ex relatione venerabilis fratris nostri Ioannis Episcopi Crotonensis accepimus, ipsum et fratrem Effrem Eremitam nuntios Nostros hilariter recepisti et honorifice pertractasti, ac dilectum filium nostrum Ioannem tituli S. Praxedis Presbyterum Cardinalem Sanctae Rom. Ecclesiae honoras, et erga illum te mansuetum exhibes et benignum, tuamque personam ad Sacrosanctae Ecclesiae devotionem exponens, ac ipsam primam recognoscens et Matrem, Nobis obedire proponis, sicut devotus filius pio patri. Pro quibus devotionem tuam in Domino commendantes, Ei a quo est omne datum optimum et omne donum perfectum, gratiarum referimus actiones, suppliciter postulando, ut Ipse, qui haec tibi misericorditer inspiravit, det et perficere, ac perseverare in iis

usque in diem Domini Iesu Christi. Super quo et tu ipse debes humiliter exorare, cum ad id et fides Catholica, quam tenes, ut credimus, te inducat; et fructus non modicus, qui ex hoc provenire tibi poterit in praesenti, praeter aeternae gloriae diadema, quod tibi, si perseveraveris, reddet Dominus iustus iudex. Inde est quod Nos, recepto pro te ab eodem Episcopo, sicut ei per tuas litteras, quas coram Nobis legi fecimus, praecepisti, corporali iuramento, quod praedictum Cardinalem omnimodae restitues libertati, et filius obediens Nobis eris, ex consueta clementia, qua Ecclesia consuevit ad se redeuntibus gremium aperire, et annumerandum duximus inter Ecclesiae filios speciales, et petitiones, quas idem Episcopus ex parte tua Nobis porrexit, in quantum cum Deo potuimus, de Fratrum nostrorum consilio, exaudire curavimus, sicut per effectum evidenter apparet, firmiter aestimantes, quod et tu debeas adimplere promissa, prout Deum timentem et Catholicum virum decet. Cum igitur sola perseverantia bravium accipiat, virtutibus in stadio currentibus universis; nobilitatem tuam monemus et exhortamur in Domino, quatenus in devotione ac obedientia Apostolicae Sedis et Nostra sic firmiter perseveres, id potius per exhibitionem operis quam per scripta monstrando, quod et divinam gratiam merearis et favorem Apostolicum plenius obtinere. Praeterea cum ex iniuncto Nobis Apostolatus officio te ac alios Ecclesiae filios debeamus ad pietatis opera invitare, nobilitatem tuam rogamus attente et monemus in remissionem tibi peccaminum iniungentes, quatenus divinae pietatis intuitu et Nostrarum precum obtentu, captivis aperias viscera pietatis, et pauperes praesertim et alios de quibus nullum potest tibi commodum provenire restituas libertati, ut et misericors Dominus te a tuorum absolvat vinculis peccatorum, qui se illis non dimissurum testatur, qui fratribus non dimittunt; sollicite recolendo, quod iudicium sine misericordia fiet ei, qui non facit misericordiam, beato Iacobo attestante. – Datum Laterani, octavo kal. Februarii, Pontificatus Nostri anno secundo. Ex Archivo Vaticano. – (94).

XCV.

(ANNO 1218)

Confirmatur compositio super tenimentis Sylae.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Abbati et Conventui Florensi, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Cum a Nobis petatur, postulationibus annuentes, amicabilem compositionem initam super tenimentis Sylae inter vos ex parte una, et Abbatem et Conventum SS. Trium Puerorum, Geruntin. dioecesis ex altera, coram venerabili fratre Nostro Consentino Archiepiscopo, cuius arbitrio et consilio super omnibus quaestionibus, quas vos vel praedecessores vestri habuistis hactenus pro tenimentis eisdem, vos et pars altera subiecistis, sicut sine pravitate proinde facta est, et ab utraque parte sponte recepta, auctoritate Apostolica confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Cuius compositionis tenorem de verbo ad verbum duximus inserendum: « In nomine Domini aeterni et Salvatoris nostri Iesu Christi, anno ab incarnatione eius millesimo ducentesimo decimo quinto, mense Augusti, tertia indictione, Regni vero domini Nostri Friderici Dei gratia illustrissimi Romanorum Regis semper Augusti anno tertio, Regni autem Siciliae anno decimo septimo, Regni quoque Domini Henrici eadem gratia illustris Regis Siciliae, Ducatus Apuliae et Principatus Capuae anno quarto feliciter. Amen. Solent non immerito, imo de iure, solvi quaestiones, quae pro tempore agitantur; et sive per iudicium, sive per concordiam terminantur, per scripturae radium mandari notitiae posterorum, ne per oblivionis cumulum contentiones vel scandala possint partibus iterari. Hac igitur consideratione ducti, nos Lucas Dei gratia Consentinus Archiepiscopus una cum magistro Iacobo Decano, Michaele Thesaurario Goffrido Canonicis Ecclesiae Nostrae, Dom. Rogerio filio Raonis Regio Iustitiario, Iudice Benedicto et Iudice Iacobo assessoribus Nostris praesenti scripto duximus declarandum, quod cum fr. Matthaeus venerabilis Abbas Floris cum tribus Monachis suis, et fr. Hilarius venerabilis electus Abbas SS. Trium Puero-

rum cum tribus Monachis suis venissent Consentiam coram praesentia Nostra, proposuerunt quod de consensu et voluntate Conventuum suorum, habita deliberatione spontanea, elegerant subire arbitrium et consilium nostrum de omnibus et quibuslibet quaestionibus, quas inter se vel ipsi vel praedecessores sui habuerant omni praeterito tempore pro tenimentis Sylae, a quo nunquam deberent poena interposita resilire. Primum itaque ostendente parte Monasterii SS. Trium Puerorum qualiter olim in curia Dominae Imperatricis Constantiae bon. mem. quaestiones proposuerant de insultu et violentia, quam passi fuerant a fratribus Floris in loco qui dicitur Calosuber, et qualiter ipsa Domina Imperatrix commiserat quaestionem praedecessori nostro Archiepiscopo Bonhomini bon. mem. terminandam; sed non valente ostendere qualiter fuerit terminata pars Monasterii Floris, ostendit quoddam instrumentum, quod simile habebat et ostendebat pars Monasterii praenotati, per quae duo instrumenta similia oculata fide cognovimus, quod anno ab Incarnatione Domini millesimo cent. nonag. Isaias Abbas SS. Trium Puerorum cum Fratribus suis quaestionem moverat de quibusdam pascuis et terris quae sunt infra possessionem Monasterii Floris, et per privilegium suum in Sila concessit Sanctus propter bonum pacis quod viris Religiosis convenit, sopitis omnibus quaestionibus et causis, ad preces et consilia proborum virorum Abbas Ioachim cum fratribus suis concessit praefato Abbati Isaiae ac fratribus suis ipsorum Monasterio, ut haberent ovilia sua, sicut habere consueverant in loco qui dicitur Misocampus et alius qui dicitur Vulturnus, et habere vaccas, iumenta et porcos in loco qui dicitur Fraxmito, ita ut pro ipsis pascuis persolverent annuatim solidos auri quatuor Monasterio Floris. De terris vero, quas aperuerant, sive de loco qui dicitur Faraclovus sic ad preces praedictorum Fratrum inclinatus est Abbas Ioachim, ut si hoc videbatur utrique Monasterio expedire, dimitterent Monasterium Floris in pace tenere ipsa tenimenta Calosuberi et Faraclovi, et omnes terras quas aperuerant prope ipsa tenimenta cum omni iure plantationis et aedificationis quod se in eis credebant habere. Abbas vero Ioachim et fratres sui commutaverunt eis et Monasterio eorum pro Calosubero et praefatis tenimentis et terris, alias terras a ponte

fluminis Neti, cum finibus qui scripserant in instrumento; et insuper obedientiam, quae dicitur S. Martini de Neto, cum terminis et possessionibus suis, pro quibus videlicet terris et obedientia tenebantur Abbas et fratres SS. Trium Puerorum persolvere annuatim solidos auri duos. Postulabat igitur pars Floris responderi sibi de censu annuo sex solidorum, ut praescriptum est, tot annis sibi detento; et praeponebat, quod praedicti Abbas et fratres propter ingratitudinem fregerant concordiam per instrumenta hinc inde confectam, invadendo armata manu Abbatiam, quam Abbas Ioachim construxerat in Calosubero, ibi diripiendo bona, quae ibidem inventa sunt et officinas etiam diruerant. Ostendebant insuper quoddam instrumentum a memorato Archiepiscopo, et aliis spectabilibus personis confectum, quod diffusius continebat quod olim coram praedicta Domina Imperatrice apud Nicoteram Monachis SS. Trium Puerorum requisitis et iussis, ut ostenderent privilegia, si qua unquam haberent, et nullum se habere dicentibus, possessio tota fuerat adiudicata Monasterio Floris, sicut etiam per Imperiale privilegium possidebant. Continebant etiam quaestionem, quam de invasione Calosuberi Abbas Ioachim in Curia Regia proposuerat, scilicet altera parte vix vocata et subterfugiente iudicium, in corporalem possessionem positus fuerat, per mandatum et sententiam Curiae, de Calosubero, Faraclovo et terris, quas Abbas et fratres SS. Trium Puerorum, sicut praedictum est, pro bono pacis reliquerant, et per invasionem tenebant. Sane pro iis omnibus causandi materia hinc inde crescente, placuit Abbati et fratribus SS. Trium Puerorum derelinquere penitus pascua et tenimenta cum obedientia sancti Martini per concordiam ab Abbate Ioachim sibi concessa, pro eo maxime quod censum annuum sex solidorum auri gravem sibi esse dicebant, et quia magis pacem Fratrum Floris quam possessionem terrenam et transitoriam diligebant. Tractantibus ergo amicis communibus placuit utrique parti coram Nobis positae recisis instrumentis concordiae, quam olim fecerant, ad hanc concordiam pro pace perpetua devenire. Abbas quidem et fratres Floris dimiserunt absolute Abbati et fratribus SS. Trium Puerorum omnes quaestiones praeteriti temporis, quas adversus eos movere possent, et concesserunt Monasterio eorum in per-

petuum terras laboratorias triginta modios seminis capientes, sicut aestimabantur arbitrio communium amicorum, in loco qui vocatur Salice vel iuxta Salice, quas omni tempore tenebitur Monasterium Floris eidem Monasterio defendere, sicut erit de iure, utendo in eisdem terris, cum seminatae non fuerint pascuis cum animalibus Floris, pro quibus terris reddit annuatim Monasterium SS. Trium Puerorum Monasterio Floris in festo B. Ioannis Evangelistae libram cerae unam, et nihil aliud. Remiserunt insuper omnem quaestionem, quam aliquando movere possent adversus praefatum Monasterium de tenimento quod dicitur Mixi, quod videlicet est infra fines quos continet privilegium Floris, concedentes ut illud sicut hactenus libere ac pacifice debeat possidere. Abbas vero et fratres SS. Trium Puerorum remiserunt omnes quaestiones praeteriti temporis, quas adversus Monasterium Floris aliquatenus movere possent, et dimiserunt absolutum quidquid tenuerant infra tenimentum quod Monasterium Floris possidet ex dono Imperiali, ut nihil in eo de caetero quaerant ad laborandum vel pascendum, nisi voluntate Abbatis et fratrum Floris. Pro qua concordia inviolabiliter perpetuo ad invicem observanda obligavit se utraque sub poena centum unciarum auri, medietatem solvendo Regiae Curiae et medietatem adversae parti, concordia nihilominus firma et stabili permanente. Ad huius autem concordiae atque obligationis coram nobis factae memoriae et inviolabile firmamentum praesens scriptum scripsit Willelmus Consentinus Notarius, nostra et aliorum praedictorum subscriptione munitum. – Anno, mense et indictione praescriptis. – Ego Lucas Dei gratia Consentin. Archiepiscopus propria manu subscripsi. – Ego Iacobus Consentinus Decanus. – Ego Michael Thesauriarus. – Ego Goffridus Consentinus Canonicus. – Ego Rogerius filius Raonis Regius Iustitiarius. – Ego Benedictus Iudex, qui supra interfui. – *Iudicis aeterni meditemur facta moderni.* – Iacob Iudex. – », Nulli ergo etc. – Datum Laterani, tertio kal. Februarii, Pontif. Nostri anno secundo. – UGHELLI, tom. IX – (95).

XCVI.

(Anno 1218)

Pro Monasterio Cabriae, in dioecesi Geruntina.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Abbati et Conventui Monasterii S. Ioannis de Flore.* — Cum, sicut accepimus, quondam Ioachim bonae memoriae, Abbas Floris, Monasterium Siri subditum construxisset in Ecclesia Montis Marci, quam ad id ei contulerat quondam Gilbertus tunc Episcopus Geruntinus, et eamdem quondam Guillelmus successor eius in Religionis odium destruxisset, ac bonae memoriae Bernardus qui successit eidem in recompensationem huius damni et ut Monasterium ibi posset commode reparari, duas vobis Ecclesias contulerit consideratione divina; et tandem prius quam hoc fieret, Floren. Monasterium combustum extiterit, et de Apostolicae Sedis auctoritate mutatum in loco ipsi Ecclesiae tam vicino, quod absque gravi scandalo aliud ibidem non potuit Monasterium ordinari: postea vero Nicolaus, qui nuper praedictis successit Episcopis, retentis sibi memoratis Ecclesiis et praefata Ecclesia Montis Marci cum suis pertinentiis, Monasterio Floris sub annuo censu absque alia conditione dimissa, quoddam Monasterium, quod dicitur Cabria, olim Graecorum, nunc desolatum, vobis, quod faceretis in eo Monasterium Ordinis vestri concessit, ut sic saltem praedecessorum suorum pium propositum adiret. Eapropter, dilecti in Domino filii, vestris iustis postulationibus annuentes, praedictum Monasterium Cabriae et eamdem Montis Marci Ecclesiam cum pertinentiis suis, sicut ea iuste ac pacifice possidetis, ut in ipsius Episcopi authentico plenius continetur, vobis et per vos eidem Monasterio vestro de Flore auctoritate Apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. – Datum Laterani, decimo kal. Februarii, anno secundo. – Ughelli, tom. ix – (96).

XCVII.

(ANNO 1218)

Pro electione Archiepiscopi Rossanensis.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei*, *Archiepiscopo Consentino.* — Dilecti filii R. Archipresbyter, Nicolaus Constantinus, Theofilactus et quidam alii Canonici Rossanen. sua Nobis insinuatione monstrarunt, quod eorum Ecclesia viduata pastore, N. Decanus, P. Archidiaconus et quidam alii Ecclesiae praedictae Canonici B. iudicem Rossanen., qui pluries sententias dictaverat sanguinis, uxoratum et Ordinem ecclesiasticum aliquem non habentem simoniace ac contra sanctiones canonicas in Archiepiscopum eligere praesumpserunt, et idem Electus taliter ambitionis inebriatus veneno, usque ad diaconatum recepit Ordines uno die; quia igitur nec volumus nec debemus conniventibus oculis pertransire, fraternitati tuae per Apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus, inquisita super his plenius veritate, si rem inveneris ita esse, electionem huiusmodi casses, sublato appellationis obstaculo vice Nostra, et electoribus ipsis eligendi potestate privatis, Episcopum qui ordinavit eumdem et ipsum taliter ordinatum ad praesentiam Nostram transmittas suspensos, iniungens Capitulo Ecclesiae memoratae, ut infra terminum competentem, quem ipsis duxeris praefigendum, per aliquos de seipsis Nostro se conspectui representet eum, quem illis in pontificem praeficiendum providerimus recepturi. – Datum Laterani, tertio nonas Aprilis, anno secundo. – EX ARCHIVO VATICANO (97).

XCVIII.

(ANNO 1218)

De electione Abbatis Monasterii de Carra.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei*, *Episcopo Miletensi et Abbati Cathacensis dioecesis.* — Dilecti filii Romanus et Antonius, monachi et nuntii Monasterii S. Mariae de Carra, in

Nostra proposuerunt praesentia constituti, quod dicto Monasterio, quod ad Romanam Ecclesiam nullo pertinet mediante, Pastoris solatio destituto, Conventus eiusdem Monasterio convenientes, in unum invocata Spiritus Sancti gratia, in dilectum filium Nifum Abbatem Monasterii Veteris Squillacii, virum timoratum, castum, misericordem, et tam in spiritualibus quam in temporalibus circumspectum, contulerunt unanimiter vota sua, sicut in decreto de ipsius postulatione confecto plenius continetur, Nobis humiliter supplicantes ut postulationem ipsam ratam habentes et firmam, praefatum Abbatem ipsis in Pastorem concedere dignaremur. Quia vero, sicut iniustis petitionibus Nostrum denegamus assensum, sic iusta postulantibus favorem debemus benevolum impertiri, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus de modo postulationis, postulantium studiis et postulati meritis veritate diligentius inquisita, si postulationem ipsam inveneritis de persona idonea cui tanto congruat onus et honor canonice celebratam, ipsum a cura sui Monasterii absolventes eidem ad praedictum Monasterium S. Mariae de Carra licentiam transeundi auctoritate Apostolica concedatis, et faciatis ei a fratribus eiusdem Monasterii obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. – Datum Laterani tertio non. Aprilis, anno secundo. – Ex Archivo Vaticano (98).

XCIX.

(Anno 1218)

Contra Archiepiscopum Sanctae Severinae.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Archiepiscopo Consentino et Abbati de Frigilo.* — De venerabili fratre Nostro Archiepiscopo Sanctae Severinae tot et tam gravia Nostris sunt auribus inculcata, ut dignum duxerimus descendere, ac videre an clamores qui ad Nos de ipsius actibus ascenderunt opere compleverit, an forsitan non sit ita. Idem enim Archiepiscopus multipliciter dilapidare dicitur Ecclesiae suae bona, matrimonia legitima pecunia mediante dissolvere et coniungere dissolvenda,

ordinare Clericos extra tempora constituta, et Ecclesias personis infra aetatem legitimam constitutis contra Generalis Concilii statuta conferre, ac alia multa committere, quae sub dissimulatione non sunt aliquatenus transeunda. Qui etiam in eiusdem loci Archidiaconum, pro eo quod cuidam alienationi, quam in detrimentum Ecclesiae facere nitebatur, praestare nolebat assensum, excommunicationis sententiam promulgavit. Ideoque discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad locum personaliter accedentes, inquisitionem faciatis super his et aliis eius actibus diligentem, et eam Nobis sub sigillis vestris transmittatis inclusam, praefigentes terminum ipsi Archiepiscopo, quo propter hoc Nostro se conspectui repraesentet. – Datum Romae apud S. Pêtrum, decimo tertio kal. Iunii, anno secundo. – Ex Archivo Vaticano (99).

C.

(Anno 1218)

Contra eumdem Archiepiscopum.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei*, *Archiepiscopo Consentino et Abbati de Cunctio Marturanen. dioecesis.* — Postulavit a Nobis venerabilis frater Noster Archiepiscopus Sanctae Severinae ut cum ad petitionem Leti Archidiaconi et Nicolai Primicerii S. Severinae, quos asserit suis culpis exigentibus per eum et bonae memoriae Praedecessorem suum excommunicationis vinculo innodatos, inquisitionem contra ipsum tibi, frater Archiepiscope, et Abbati de Frigilo, qui pro eo quod quasdam possessiones Ecclesiae suae ab ipso Abbate detentas reperiit, eum persequitur minus iuste, sub certa forma duxerimus committendam, ipso Abbate a cognitione inquisitionis eiusdem amoto, alium loco eius qui una tecum tam super illis quae in inquisitione continentur praefata, quam super his quae idem Archiepiscopus contra partem adversam duxerit proponendum, inquirat diligentius veritatem, subrogare misericorditer dignaremur. Volentes igitur, ut in negotio memorato sine suspicione aliqua procedatur, te, fili Abbas, loco eiusdem Abbatis de Frigilo in prosecutione saepefati negotii,

si praemissis veritas suffragatur, duximus subrogandum; discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus tam super illis, quae in inquisitione continentur praefata, quam super his quae idem Archiepiscopus contra partem adversam duxerit proponenda, inquiretis diligentius veritatem in negotio ipso, iuxta priorum continentiam litterarum, sublato appellationis obstaculo ratione praevia procedatis. – Datum Laterani, tertio id. Iulii, anno secundo. – EX ARCHIVO VATICANO (100).

CI.

(ANNO 1219)

Pro electione Abbatis S. M. de Cabria seu Calabria.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei*, *Episcopo Geneocastren. et Abbatibus de Curatio et Frigilo Marturanen. et S. Severinae dioecesis.* — Significantibus dilectis filiis Conventus S. Mariae Novae de Calabria, Nostris est auribus intimatum quod Hilarion, eiusdem Monasterii dictus Abbas, Isaiam quondam Abbatem ipsius Coenobii virum religiosum, providum et honestum, qui per annos triginta et amplius Monasterium laudabiliter rexerat memoratum circumveniens fraudolenter, ipsum cedere, ac se in locum eius intrudi fecit per simoniacam pravitatem; qui postquam eiusdem fuit Monasterii regimen assecutus, possessiones ipsius et bona taliter dilapidare praesumpsit, Monachorum personas laicorum dominio temeritate propria subiugando, quod nisi per sollicitudinem Apostolicae Sedis celeriter succurratur eidem, vix adiciet ut resurgat alias, multa committens enormia, quae limam Apostolicae correctionis exposcunt. Cum igitur instantia Nostra quotidiana sit omnium Ecclesiarum sollicitudo continua, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad Monasterium ipsum personaliter accedentes, et habentes prae oculis solum Deum et vice Nostra visitationis officium impendatis, corrigentes et reformantes ibidem, appellatione remota, tam in capite quam in membris quae correctoris et reformatoris officio noveritis indigere, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. Quod si non omnes,

tu, frater Episcope, cum eorum altero etc. – Datum Laterani, tertio id. Novembris, Pontificatus Nostri anno tertio. – Ex ARCHIVO VATICANO (101).

CII.

(ANNO 1219)

Pro Abbate S. M. Veteris Squillacii.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei*, *Archiepiscopo Consentino*. — Dilecti filii monachi Monasterii S. Mariae Veteris Squillacii Nobis humiliter supplicarunt, ut cum eorum Monasterio pastoris solatio destituto, ipsi Sancti Spiritus gratia invocata, Theodosium eiusdem Monasterii monachum, virum aeque religiosum et providum, sibi canonice ac concorditer elegerunt in Abbatem, electionem celebratam de ipso dignaremur misericorditer confirmare. Quocirca fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus de ipsius electionis modo, electi meritis et eligentium studiis veritate plenius inquisita, si electionem ipsam inveneris de persona idonea canonice celebratam, eamdem, sublato appellationis obstaculo, auctoritate Nostra confirmes; et praedicto electo munus benedictionis impendas, faciens eidem et monachis eiusdem Monasterii obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. - Datum Laterani, quinto idus Februarii, Pontificatus Nostri anno tertio. - Ex ARCHIVO VATICANO (102).

CIII.

(ANNO 1219)

Episcopus et Capitulum Neocastren. cum Monachis S. M. de Carra.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei*, *Marturanensi et Cotronensi Episcopis*, *et Abbati de Frigilo Geneocastrensis dioecesis*. — Dilecto filio Nifo Abbate S. Mariae de Carra accepimus referente, quod cum ipse citatus a Nobis pro causa quae vertebatur inter Monasterium eius de Carra, quod ad Sedem

Apostolicam nullo pertinet mediante ex parte una, et venerabilem fratrem nostrum Episcopum et Capitulum Neocastren. ex altera, super eo quod idem Episcopus et Capitulum Monasterium ipsum ad se pertinere dicebant, cum quibusdam Monachis suis ad Nostram praesentiam accessisset, reliqui eiusdem Monasterii monachi compositionem quamdam, ipsius Abbatis irrequisito consensu, in eiusdem praeiudicium et gravamen Monasterii sui temere cum praedictis Episcopo et Capitulo inierunt. Cum igitur temerarium fuerit, praedictos Monachos irrequisito Abbate ipsorum compositionem inire, quantumcumque videretur utilis super eadem causa, in qua de subiectione ipsius Abbatis et sui Monasterii agebatur; discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus huiusmodi compositionem auctoritate Nostra decernentes irritam et inanem, per eam non permittatis supradictum Monasterium molestari. Contradictores si qui fuerint vel rebelles per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. - Quod si non omnes etc. - Datum Romae apud S. Petrum, tertio kal. Iunii, anno tertio. - Ex Archivo Vaticano (103).

CIV.

(Anno 1219)

In favorem Monasterii S. M. de Carra, contra Episcopum et Capitulum Neocastren.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Nifo Abbati et Conventui Monasterii S. Mariae de Carra.* — Sicut in litteris fel. mem. Alexandri Papae Praedecessoris Nostri perspeximus contineri, olim Nicolaus Eremita et fratres de Carra, tunc eremiticam vitam ducentes, personas suas et locum ipsum necnon Ecclesiam quam in territorio a cl. mem. Wil. illustri Rege Siciliae sibi collato construere disponebant, eidem Praedecessori Nostro et Romanae Ecclesiae obtulerunt. Unde ipse personas, locum et Ecclesiam sub B. Petri et sua protectione suscipiens, statuit ut Ecclesia ipsa seu dicti Fratres in posterum non alii nisi Sedi Apostolicae responderent in aliquo, nec alicuius Archiepiscopi vel Episcopi seu cuiuspiam Ecclesiasticae personae

praeter quam Romani Pontificis iurisdictioni subiacere deberent. Et licet tunc Neocastrensis Episcopus, asserens locum ipsum ad se lege dioecesana spectare, suae iurisdictioni subiacere niteretur, praefatus tamen Praedecessor Noster attendens quomodo iam locum ipsum in ius et proprietatem B. Petri et suam receperat, Electum eiusdem loci, rogante Rege praedicto, benedixit propriis manibus in Abbatem; eique pastorali virga concessa, ipsum cum sua gratia et benedictione remisit, mandans fratribus ut ei sicut Abbati suo debitam in omnibus obedientiam et reverentiam impendentes, ipsius monitis et mandatis, in locis quae Dei essent et ad salutem pertinerent illorum, parerent humiliter et devote. Coeterum quia olim Neocastren. Episcopus Theodosium monachum loci eiusdem iam Monasterii benedixit, sicut dicebatur, per suam potentiam in Abbatem, et successor eius Monasterium ipsum exactionibus et vexationibus fatigabat, quaerela super his ad fel. record. Innocentium Praedecessorem Nostrum delata, idem A. subdiaconum et Capellanum suum dedit partibus tunc praesentibus auditorem, coram quo lite legitime contestata, cum pars Abbati proposuisset quod Monasterium supradictum esset omnino liberum et exemptum prout ex monumentis Apostolicis plene constabat, quia pars Episcopi obiecit e contra quod eiusdem Monasterii libertatibus per quamdam definitivam sententiam auctoritate Apostolica promulgata fuerat derogatum, causa ipsa de consensu partium venerabili fratri Nostro Geneocastren. Episcopo et dilecto filio Abbati Mileten. extitit delegata, coram quibus idem Episcopus commissionis litteris quarum omnino simile habebat vitium falsitatis impingens, in vocem appellationis prompsit. Et sic cum idem Abbas pro se, ac Cantor et T. tunc Canonicus nunc Archidiaconus Neocastren. procuratores Episcopi et Capituli Neocastren., ad Sedem Apostolicam venientes coram venerabili fratre Nostro Albanen. Episcopo eis auditore concesso, aliquamdiu litigassent, nec ipsae litterae potuissent argui falsitatis, iidem procuratores quoddam scriptum in modum sententiae sub nomine T. quondam Mileten. Episcopi et Ioachim Abbatis Curatii in medium protulerunt. Sed quia nec munitum erat sigillis illorum, nec publica manu factum, nec de ipsorum quorum dicebantur habuisse delegatione constabat, obtulerunt procuratores ipsi

se id per testes omni exceptione maiores in suis partibus probaturos. Unde Nos, praedicto Abbate viam interim universae carnis ingresso, venerabili fratri Nostro Consentino Archiepiscopo et eius Collegis receptionem testium super his duximus committendam. Sed ne Monasterium ex defectu Pastoris dispendium, et maxime sui iuris si non esset qui prosequeretur illud incurreret detrimentum; ad preces vestras, filii Conventus, qui propter hoc specialiter nuntios Nostros ad Sedem Apostolicam destinatis, Episcopo Mileten. et Collegis suis direximus scripta Nostra, ut te, fili Abbas, tunc Abbatem S. Mariae Veteris Squillacii a prioris Abbatiae regimine absolventes, transferrent ad Monasterium de Carra, ad quod fueras concorditer postulatus. Sed pars Episcopi se super his vobis opponens, compulit vos iterum ad Sedem Apostolicam nuntios destinare. Unde Nos compassi vestris laboribus et expensis, id per venerabilem fratrem Nostrum Marturanen. Episcopum et dilectum filium Abbatem S. Iuliani fecimus executioni mandari; et volentes liti finem imponere, tam vos quam praefatum Episcopum et Capitulum per eumdem Episcopum Marturanen. et Abbatem S. Iuliani, quibus super hoc direximus scripta Nostra, citari legitime fecimus, sicut per eorumdem litteras Nobis constitit evidenter, ut propter hoc ad praesentiam Nostram accederent per se vel procuratores idoneos, festum S. Michaelis proxime praeteritum utrique parti pro termino praefigendo. Et licet tu, fili Abbas, cum quibusdam Monachis tuis in praedicto termino comparueris coram Nobis, praedicti tamen Episcopus et Capitulum nec per se nec per procuratorem legitimum comparere curarunt, per tres menses et amplius post terminum expectati. Volentes quoque adhuc eis in hac parte deferre, quintum decimum diem post Resurrectionem Dominicam proxime praeteritam terminum peremptorium assignavimus, quo per se vel sufficientes procuratores Nostro se conspectui praesentarent. Sed quadraginta diebus post praedictum peremptorium expectati, venire vel mittere neglexerunt. Quare fuit Nobis ex parte vestra humiliter supplicatum, ut cum libertatis munimenta examinata fuerint diligenter, et per Nos de Fratrum Nostrorum consilio confirmata, nec probatum fuerit aliquid contra ea, et alias de meritis causae ac alterius partis contumacia et versutia plene liqueat, finem

vestris laboribus, angustiis et expensis imponere dignaremur. Cum igitur evidenter constiterit quod Monasterium vestrum iuris et proprietatis Apostolicae Sedis existat, ne ulterius prorogando iudicium videamur iustitiae denegare; habito communi Fratrum Nostrorum consilio, vos et idem Monasterium vestrum ab impetitione praeditorum Episcopi et Capituli sententialiter duximus absolvendos, dictis Episcopo et Capitulo super hoc perpetuum silentium imponentes. Nulli ergo etc. – Datum Romae apud S. Petrum, kal. Iunii, Pontificatus Nostri anno tertio. – Ex Archivo Vaticano - (104).

CV.

(Anno 1220)

Causa inter Episcopum Miletensem et Abbatem S. M. de Iosaphat, pro Ecclesia S. Laurentii de Arenis.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Archidiacono et Decano Squillacen.* — Cum causa, quae vertitur inter venerabilem fratrem Nostrum Episcopum Mileten. et Abbatem S. Mariae de Iosaphat super Ecclesia S. Laurentii de Arenis, diversis fuisset iudicibus a Sede Apostolica delegata, et variae pro utroque parte sententiae promulgatae; tandem fel. record. Innocentius Papa Praedecessor Noster eamdem Archiepiscopo Rheginen. commisit, quam idem ad Apostolicae Sedis examen remisit ut credebatur sufficienter instructam. Sed cum dicto Praedecessore Nostro interim decedente, ac eodem Abbate dimisso, tamen procuratore ad partes ultramarinas profecto, remansisset negotium ipsum hactenus indecisum; dictus Episcopus provideri sibi per Sedem Apostolicam postulavit. Unde Nos ipsi Episcopo et procuratori praefato terminum peremptorium assignantes, venerabili fratri Nostro Rheginen. Archiepiscopo Nostris dedimus in mandatis, ut eis ex parte Nostra iniungeret, ut infra quindecim dies post festum S. Michaelis proxime praeteritum, per se vel procuratores idoneos Nostro se conspectui praesentarent. Sed licet idem, iuxta formam praescriptam, partes ad Nostram praesentiam citavisset, nullus pro parte Abbatis comparuit, procuratore ipsius Episcopi

expectante diutius ac instante ut ad sententiae calculum procedere dignaremur. Nos ergo, licet plus forte potuissemus in negotio ipso procedere, dictum tamen Episcopum in Ecclesiae petitae possessionem decrevimus inducendum, salva proprietatis dumtaxat parti alteri quaestione. Quocirca discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsum auctoritate Nostra in possessionem eiusdem Ecclesiae inducatis ac defendatis inductum. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescentes. – Datum Viterbii, decimo secundo kal. Iunii, Pontificatus Nostri anno quarto. - Ex ARCHIVO VATICANO - (105).

CVI.

(ANNO 1220)

Quaedam praebenda Ecclesiae Miletensis Gentili scriptori Apostolico collata.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Archiepiscopo Rheginen. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Dilecto filio Magistro Petro, Capellano dilecti filii Nostri L. tit. Sanctae Crucis Presb. Cardinalis, praebendam, quam in Mileten. Ecclesia obtinebat, libere resignante spontanea voluntate, illam dilecto filio Magistro Gentili, scriptori Nostro, providimus conferendam. Ideoque fraternitati tuae per Apostolica scripta praecipiendo mandamus, quatenus eius procuratorem ipsius nomine a Capitulo eiusdem Ecclesiae recipi facias, eique stallum in Choro et locum in Capitulo assignari ac exhiberi sibi de coetero ipsius praebendae proventus. Contradictores, si qui fuerint, monitione praevia, per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. – Datum Laterani, decimo octavo kal. Ian., Pontificatus Nostri anno quinto. - Ex ARCHIVO VATICANO - (106).

CVII.

(ANNO 1220)

Ut per totam Calabriam publice nuncietur, Abbatem Ioachimum virum esse Catholicum, non haereticum.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Consentino Archiepiscopo et Episcopo Bisinianensi.* — Ex parte dilectorum filiorum Abbatum et Conventuum de Ordine Floris, tam capitis quam

membrorum, fuit propositum coram Nobis, quod is qui saluti hominum invidet et quieti, occasione assumpta ex eo quod libellus, quem Abbas Ioachim contra bon. mem. magistrum Petrum Lombardorum edidit, in Generali fuit Concilio condemnatus, contra eos nonnullos tam clericos quam laicos subditos et Praelatos concitavit, qui ut ipsos ab otio contemplationis avertant et funes extendentes in laqueum pedibus eorumdem ponant, eis scandalum iuxta iter ipsi obiiciunt, exprobando quod idem Abbas, qui Pater et Institutor fuit Ordinis eorumdem, haereticus ab Ecclesia Dei habetur; propter quod non solum simplices lactis participes a consortio eiusdem Ordinis avertuntur, sed etiam fortes qui uti cibo solido deberent et ad discretionem boni et mali exercitatos pro consuetudine habent sensus circa instituta eiusdem Ordinis incipiunt fluctuare. Licet igitur praedictus libellus sive tractatus condemnatus fuerit in Concilio memorato; quia tamen idem Ioachim omnia scripta sua Romano mandavit Pontifici assignari, Apostolicae Sedis iudicio approbanda seu etiam corrigenda, scripta epistola cui propria manu subscripsit, in qua firmiter est confessus se illam Fidem tenere quam Romana tenet Ecclesia, quae disponente Domino cunctorum fidelium Mater est et Magistra; fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus per totam Calabriam faciatis publice nunciari, quod eum Virum catholicum reputamus, et regularem observantiam quam instituit salutarem, eos qui Ordini memorato ex hoc detrahere vel insultare praesumpserint modo praemisso, submissis appellationibus omnibus, animadversione condigna veritate cognita, castigantes. – Datum Laterani, decimo sexto kal. Ianuarii, anno quinto. – Ex Archivo Vaticano - (107).

CVIII.

(Anno 1221)

Pro reformatione Monasteriorum Ordinis S. Basilii.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Episcopo Crotonen. et Abbati Cryptae Ferratae.* — Ne vinea Domini Sabaoth quasi absque cultore vel custode relicto succrescentibus spinis et tribulis in solitudinem convertatur, in qua ferae bestiae latitantes

igitur idem Comes privilegium Comitatus sui supra castrum Ayelli nuper de Imperiali munificentia fuerit consecutus, discretionem vestram rogandam duximus et monendam, per Apostolica vobis scripta mandantes, quatenus super dicto castro, quod in ipso Comitatu existit, de coetero nullatenus indebite molestetis Comitem memoratum, cum incrementis vestris vos intrare non deceat in praefati Nobilis detrimentum. – Datum Laterani, sexto kal. Dec. Pontificatus Nostri anno quinto. – Ex ARCHIVO VATICANO – (109).

CX.

(ANNO 1222)

Indulgentiae et gratiae spirituales Monasterio de Curatio.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, universis et singulis Christi fidelibus, salutem et Apostolicam Benedictionem in perpetuum.* — Desiderium, quod religioni proponitis et ad animarum salutem pertinere monstratis, auctore Deo, semper est aliqua dilectione complendum. Ea propter, dilecti in Domino filii Monasterii siti in loco qui dicitur de Curatio, ad honorem Virginis dedicatum, quod quidam filius Noster Rogerius de Marturano construxit et Sanctae Romanae Ecclesiae obtulit, ad exemplar Antecessorum Nostrorum fel. record. Alexandri II, Gregorii VII, Urbani II, Paschalis II et Calixti II, Apostolicae Sedis auctoritate protegimus, et Indulgentiae privilegio communimus. Ea propter cupientes Indulgentiis et gratiis spiritualibus ditari et pro Virginis honoribus frequentari, omnibus et singulis vere poenitentibus et confessis, qui eum locum in festivitatibus ipsius Virginis gloriosae, videlicet Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis et Assumptionis eiusdem et SS. Innocentium, visitaverint reverenter, et in reparatione Ecclesiae ipsius eleemosynam tribuerint, manusque porrexerint adiutrices, de Omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Apostolorum eius Petri et Pauli auctoritate confisi centum quinquaginta annos de iniunctis sibi poenitentiis, et per octavas praedictarum festivitatum, misericorditer in Domino relaxamus. – Datum id. Septembris ind. tertia, Pontificatus Nostri anno sexto. – ANNAL. CISTERC. tom. II. – (110).

CXI.

(ANNO 1223)

Pro Monasterio S. M. de Matina.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Abbati et Conventui Matinae de Sambucina, Cisterciensis Ordinis, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Cum a Nobis petitur etc. Eapropter Ecclesias, grangias, casalia, possessiones et alia bona, nec non libertates, immunitates et alia iura quae Monasterium S. Mariae de Matina priusquam Cisterciensis Ordo institueretur ibidem habebat, sicut ea iuste canonice ac pacifice possidetis, vobis et per vos Monasterio vestro auctoritate Apostolica conferimus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. – Datum Laterani, decimo quinto kal. Ian. Pontif. Nostri anno septimo. – EX ARCHIVO VATICANO – (111).

CXII.

(ANNO 1223)

Pro Eremitis Insulae Strofariae inter Syllam et Carybdim.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Priori et Fratribus de Insula Strofaria, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Religiosae pietatis et piae religionis vestrae promeretur honestas, ut vos favore benevolo prosequentes, vobis gratiam impendamus, qui, sicut ex testimonio multorum accepimus, inter Syllam et Carybdim eremiticam vitam ducentes, navigantibus solatia et naufragantibus suffragia impenditis opportuna, exponendo eis gratuito pietatis officia, quae de manuum vestrarum laboribus ad pauperem victum vestrum anxie praeparatis. Hinc est quod devotionis vestrae precibus inclinati, vos a praestatione vicissim quae a vobis exigitur pro subsidio Terrae Sanctae duximus absolvendos, vobis nihilominus indulgentes ut laborum vestrorum de possessionibus, quae intra Insulam de Strofaria habetis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere praesumat, nec de his quae vobis a fidelibus in eleemosynam erogantur alicui Episcopo vel

alii compellamini aliquam partem dare. Nulli ergo etc. – Datum Signiae, tertio non. Iulii, Pontificatus Nostri anno septimo. – EX ARCHIVO VATICANO – (112).

CXIII.

(ANNO 1226)

Pro Monasterio Florensi, ob Ecclesiam S. Martini de Iove.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis Capitulo Consentino.* — Abbas et Conventus Monasterii Florensis Nos conquerendo monuerunt, quod cum ab Ecclesia vestra Ecclesiam S. Martini de Iove sub annuo censu teneant, sicut in litteris inde confectis plenius continetur, et eamdem Ecclesiam per annos fere viginti quatuor possederint sine lite, nunc dictam Ecclesiam in iudicio repetitis ab eisdem, occasione videlicet quod censum ipsum per quinquennium asseritis non solutum. Cum autem iidem, ut proponunt, nulla usi sint malitia in hac parte, nec unquam se detinuisse putaverint censum eumdem, quem Ecclesiae Consentinae se annuatim misisse per eorum Monachum in saepedicta Ecclesia commorantem, et simplicitati eorum quibus iuris huiusmodi licet ignorare rigorem sit venia tribuenda, nec Nos etiam deceat propter unius negligentiam tam rigide super hoc procedere ac gravi servos Dei afficere detrimento; discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus praedictis de censu ipso vobis satisfacientibus pro tempore quo eum proponitis non solutum, pro Nostra reverentia et intuitu religionis eorum huiusmodi sitis satisfactione contenti. – Datum Laterani, decimo tertio kal. Aprilis, Pontificatus Nostri anno decimo. – EX ARCHIVO VATICANO – (113).

CXIV.

(ANNO 1226)

Alius assignatur locus opportunior pro Monasterio Florensi.

Honorius Episcopus, *Servus servorum Dei, Electo et Capitulo Consentino, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Cum in habitu regulari sub Religionis monasticae disciplina tu, fili Electe, portaveris iugum Domini ab adolescentia tua, et sic fueris fidelis

eidem, ita quod devotionem vestram commendare merito debeamus; alioquin sententiam, quam ipse rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino inviolabiliter observari. - Datum Perusii, quinto idus Decembr. anno octavo. - UGHELLI, tom. IX - (115).

CXVI.

(ANNO 1241)

Licentiam concedit, ut Ecclesia S. Matthaei iuxta Consentiam Fratribus Praedicatoribus detur.

Gregorius Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Consentino, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Licet ad humilem supplicationem dilectorum filiorum Fratrum Praedicatorum, ut eisdem concederemus Ecclesiam S. Matthaei, sitam iuxta Consentiam, ad Archiepiscopalem Mensam spectantem, ad domum sui Ordinis construendam, animum inclinaveris, prout tuae praesentatae Nobis litterae continebant; tu tamen super hoc Nostram per easdem litteras duxisti licentiam postulandam. Nos igitur, tuum in hac parte laudabile propositum commendantes, fraternitati tuae licentiam concedimus postulatam. Ita tamen, quod eisdem Fratribus ad construendas domos et faciendum claustrum et hortum, sufficiente per te spatio assignato, reliquae possessiones omnes et reditus eidem Ecclesiae ad proprietatem Mensae praescriptae integrae serventur. - Datum apud Cryptamferratam, tertio kal. Oct., Pontif. Nostri anno quartodecimo. - BULLAR. PRAEDICAT. tom. I. - (116).

CXVII.

INNOCENTIUS PP. IV.

(ANNO 1251)

De feudis Sarapodii et S. Georgii.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio fratri Rogerio de Lentino de Ordine Praedicatorum, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Volentes dilecto filio nobili viro Guerrerio de Squillaco gratiam facere specialem, mandamus qua-

a fugitivis ablatas illicite retinere praesumpserint, si laici fuerint, eos et principales fautores eorum publice, accensis candelis, excommunicationis sententia percellatis; Clericos autem, Canonicos sive Monachos, appellatione remota, ab officio et beneficio suspendatis, neutram relaxaturi sententiam, donec praedictis Fratribus plenarie satisfaciant, et hi praecipue, qui pro violenta manum iniectione vinculo fuerint anathematis vitio dati, et si dioecesani Episcopi litteris ad Sedem Apostolicam venientes, ab eodem vinculo mereantur absolvi. Villas autem, in quibus bona praedictorum Fratrum seu hominum ipsorum per violentiam detenta fuerint aut praedones ipsorum permanserint, seu etiam fratres fugitivos monachos et conversos contra voluntatem eorum extiterint, ipsarum diligenter admoniti, nisi eos a se curaverint amovere, quamdiu ibi fuerint, interdicti sententiae, appellatione postposita, supponatis. – Datum Laterani, septimo kal. Iunii, Pontif. Nostri anno nono. – TROMBY, tom. IV – (118).

CXIX.

(ANNO 1253)

Electio Episcopi Marturanensis confirmatur.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, fratri Thomae, Ord. Cisterciensis, Marturanen. electo.* — Significasti siquidem Nobis, quod Nos dilecto filio Neapolitano electo Nostris iniunximus litteris, ut te Marturanensi Ecclesiae tunc vacanti auctoritate Nostra Episcopum praeficeret et Pastorem, faciens tibi a Capitulo et subditis ipsius Ecclesiae tanquam Patri et Pastori animarum suarum obedientiam et reverentiam debitam exhiberi. Et idem Neapolitanus electus te iis litteris Nostris et auctoritate praefatae Marturanensis Ecclesiae in Episcopum praefecit et Pastorem, prout in ipsius litteris confectis exinde plenius continetur. Nos igitur tuis supplicationibus inclinati, quod ab eodem Neapolitano electo factum est in hac parte ratum habentes et gratum, id auctoritate Apostolica confirmamus, tenorem autem litterarum praedictarum de verbo ad verbum praesentibus inseri facientes, qui talis est: « In nomine Domini, Amen. – Ad Ecclesiastici honoris spectat augmentum, dum viduatae providetur

centii IV anno decimo, praesentibus ven. fratre S. Agathae, fratre Iacobo electo Monasterii S. Mariae Matris Domini Salernitanae dioecesis, Cencio Cimini et Raymundo Domini Papae Capellanis, fratribus Laurentio eiusdem Domini familiari, et Raynerio Ordinis Minorum, quem nomine Abbatis investimus manu propria de Episcopatu eiusdem. – Ego Ioannes de Ocra, qui supra, S. R. E. Apocrisarius omnibus interfui, et de mandato praescripti Electi praesens publicum instrumentum propria manu subscripsi, et meo sigillo signavi ». Nulli ergo etc. – Datum Perusii, quarto kal. Martii anno decimo. – TROMBY, tom. V – (119).

CXX.

(ANNO 1254)

Amoto Mauro, Nicolaus de Durachio Crotonensi Ecclesiae praeficitur.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio fratri Ioanni de Aversa, Ministro in Calabria Ordinis Minorum, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Cum, sicut intelleximus, Cotronensis Ecclesia tanto tempore iam vacaverit, quod ad Sedem Apostolicam est eius provisio devoluta; Nos volentes eidem Ecclesiae, ne damna ex longa vacatione subeat, de Pastore idoneo celeriter providere, discretioni tuae de Fratrum Nostrorum consilio per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, dilectum filium Magistrum Nicolaum de Durachio, Camerae Nostrae Clericum, in latina et graeca lingua peritum, virum utique litteratum, providum et discretum, ac in spiritualibus et temporalibus circumspectum, eidem Ecclesiae auctoritate Nostra in Episcopum praeficias et Pastorem, amoto exinde Mauro presbytero, qui pro ipsius electo se gerit, et per saecularem potentiam se in illa procuravit intrudi, vel si post inhibitionem factam a Nobis ne vacantibus Ecclesiis Regni Siciliae provideretur de Pastoribus sine Nostro beneplacito et mandato, praefatae Ecclesiae per electionem vel postulationem, seu per quemcumque alium modum fuerit de ipso provisum; contradictores et rebelles per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo. – Datum Anagniae, quarto nonas Septembris, Pontificatus Nostri anno undecimo. – UGHELLI, tom. IX – (120).

CXXI.

(ANNO 1254)

Omnes in Calabria et Sicilia constitutos sub protectione et defensione speciali suscipit.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Archiepiscopis et Episcopis, ac dilectis filiis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis et aliis Ecclesiarum Praelatis; ac Nobilibus viris, Comitibus, Baronibus, Iustitiariis, Vicariis et coeteris Officialibus, Militibus, Burgensibus, Communi Messanensi, et universis per Siciliam et Calabriam constitutis, Nostris et Ecclesiae Romanae fidelibus.* — Communi suorum fidelium voto libenter Ecclesia benevola Mater concurrit, digne illos qui sincera se fide ac obsequio ei devote praestiterint, Apostolicis attollens favoribus et largifluis beneficiorum magnificans donativis. Ut igitur vobis exultationis et gaudii de peroptato ipsius regimine, pro quo diuturna sunt tracta suspiria, grata proveniat plenitudo, vos, Ecclesias insuper universas et loca religiosa Siciliae et Calabriae, et cuncta vestra et ipsorum bona sub B. Petri ac Nostra protectione ac defensione suscipimus speciali. Libertates vero et immunitates, et laudabiles consuetudines a priscis temporibus vobis et Ecclesiis ac locis praedictis, Regali vel alia quorumcumque fidelium munifica largitione concessas, illibatas semper servare volentes, illas vobis ac eisdem Ecclesiis ac locis auctoritate Apostolica de speciali gratia confirmamus. Statuimus praeterea, ut praedictae Sicilia et Calabria perpetuo sint de demanio Ecclesiae Romanae atque Nostro; eaedemque cum pertinentiis, districtibus et iuribus suis et cum universis hominibus suis dominio semper Apostolicae Sedis consistant, nec cuiquam aliquid concedere, quo minus verum dominium apud Ecclesiam Romanam remaneat, vel quomodolibet alienare vel transferre, sive in illustres seu in alias quascumque personas liceat, eisdem semper hominibus cum bonis suis permansuris sub potestate, iurisdictione ac praesidio dictae Sedis, et habituris optatae solatia libertatis. Nulli ergo etc. - Datum Capuae, decimotertio kal. Novembr., anno decimosecundo. - RAYNALDI, tom. V - (121).

CXXII.

(ANNO 1254)

Pro Episcopo Bisinianensi.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Assisinaten. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Cum, sicut intelleximus, Bisinianen. Ecclesia sit pastorali solatio destituta; Nos gravibus ipsius Ecclesiae periculis, quae sibi, si vacaret diutius, imminerent, occurrere cupientes, mandamus quatenus eidem Ecclesiae dilectum filium fratrem Raynutium Ord. Fratrum Minorum, cuius studio et diligentia laudabilibus in spiritualibus et temporalibus poterit auctore Domino proficere incrementis, in Episcopum praeficias, et Pastorem, faciens ei a Capitulo et subditis eiusdem Ecclesiae obedientiam et reverentiam debitam exhiberi, contradictores et rebelles per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo. - Datum Neapoli, sexto idus Novembr. Pontificatus Nostri anno duodecimo. - BULLAR. FRANC. tom. I - (122).

CXXIII.

(ANNO 1254)

Pro Monasterio S. Stephani, Insulanae dioecesis.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Priori et Fratribus Monasterii S. Stephani de Insula Parva Ventuten., Ord. S. Benedicti, Insulanae dioecesis.* — Referentibus Nobis accepimus, quod bon. mem. Matthaeus Insulanus Episcopus, attendens quod in Monasterio vestro dignus a vobis Deo impenditur famulatus, Monasterio ipsi omnia iura Episcopalia, quae sibi competebant in illo, Capituli sui accedente consensu, pia et provida liberalitate remisit, una libra cerae annuatim, consecratione Altarium, Ecclesiae dedicatione, Ordinatione monachorum et ecclesiasticis Sacramentis in eodem Monasterio sibi et suis successoribus reservatis. Vestris itaque iustis supplicationibus inclinati, quod ab eodem Episcopo pie ac provide factum est in

rum successorum remedio animarum. Ut autem haec omnia, quae supra diximus, obtineant robur in perpetuum plenissimae firmitatis, hoc exemptionis privilegium vobis et eis, qui, ut dictum est, vobis successerint, per manus Grifotti clerici et publici notarii Ecclesiae Insulanae fieri fecimus, subscriptione et sigillo nostro, et signo eiusdem Notarii, subscriptione etiam Canonicorum Capituli Insulani firmitate vallari. Actum in camera Palatii Ecclesiae nostrae Insulanae anno, mense, die, loco et indictione praescriptis, feliciter. Amen. Nos Matthaeus Insulanus Episcopus subscripsimus. – Ego Ioannes Insulanus Archidiaconus subscripsi. – Ego Bartholomaeus Archipresbyter Insulanus subscripsi. – Ego Bruno Diaconus testis subscripsi. – Ego Stephanus Diaconus testis subscripsi. – Ego Ligorius Presb. scripsi. – Ego Destidon Presb. scripsi. – Ego Magnus Subdiaconus scripsi. – Ego Bonus Finus Presb. scripsi. – Ego Nicolaus Presb. scripsi. – Ego Petrus Diaconus scripsi. – Ego Petrus Subdiac. scripsi. - Ego Ioannes Clericus scripsi. - Ego Grisottus Clericus et publicus Notarius Ecclesiae Insulanae, de mandato praedicti Domini Insulani Episcopi et rogatu Capituli supradicti, omnibus supradictis interfui, et hoc exemptionis Privilegium scripsi, in publicam formam redegi, et proprio signo signavi ». Nulli ergo Nostrae confirmationis etc. Si quis autem etc. Datum Anagniae, quinto non. Octobris, Pontificatus Nostri anno duodecimo - UGHELLI, tom. IX - (123).

CXXIV.

(ANNO 1255)

In favorem cuiusdam Episcopi.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, Episcopo Miletensi.* — Te olim graviter persequentibus inimicis Ecclesiae, multos gemitus et profunda suspiria per longa itinera nosceris effudisse, nullo contra tribulationes huiusmodi tibi parante subsidium vel tuis adhibente doloribus aliquod lenimentum. Ad instar itaque naufragi ad portum assidue suspirantis, tu de tua propulsus Ecclesia et redactus ad importabilem egestatem, confugisti ad

CXXVI.

(Anno 1254)

De electione Episcopi Geruntinensi.

Alexander Episcopus, *Servus servorum Dei. Capitulo Geruntinensi.* — Dilectus filius Magister Guillelmus. Concanonicus vester, olim Apostolatui Nostro suggessit, quod bon. mem. Episcopo vestro viam universae carnis ingresso, maior et sanior pars vestri convenerat in eumdem, et ipsum eligere in Episcopum proponebant, sed impediente nobili viro Comite Crotonensi, non fuit electio celebrata. Postmodum autem idem Comes de ipso Episcopatu Madium Capellanum suum investiens, vobis iniunxit ut vel a terra recederetis ipsius, vel eligeretis eumdem Madium in pastorem. Quod cum venerabilis frater noster Archiepiscopus Sanctae Severinae tunc electus audisset, praedictum Guillelmum ad suam praesentiam accersivit; et asserens quod propter negligentiam vestram ad ipsum erat eligendi auctoritas devoluta, ipsum induxit ut electioni de se faciendae praeberet assensum. Qui suis monitis acquiescens, electus extitit ab eodem, Suffraganeorum eius interveniente conniventia et consensu. Verum postquam hoc innotuit Comiti supradicto, vos ad suam praesentiam convocatos tamdiu fecit in custodia detineri donec praefatum Madium communiter elegistis. Qui accedens ad praesentiam dilecti filii Nostri Gerardi S. Adriani Diaconi Cardinalis, Apostolicae Sedis Legati, beneficium obtinuit confirmationis ab ipso. Sed memoratus Guillelmus postmodum ad eumdem Cardinalem profectus, ne illum faceret consecrare, Nostram audientiam appellavit; et tandem in Nostra proposuit praesentia constitutus, quod idem Madius prodiderat quoddam castrum, et mediante pecunia investituram Episcopatus de manu receperat laicali, ac etiam ante confirmationem obtentam multa bona Ecclesiae dilapidando vastarat. Unde Nos venerabilibus fratribus Nostris Archiepiscopo Consentino, et Bisinianensi et Geneocastrensi Episcopis dedimus in mandatis, ut vos et alios quos contingeret nominari, compellerent super iis omnibus dicere veritatem; et si de praedicto Madio invenirent

ctionem canonicam in Episcopum providere. Alioquin praefatis Archiepiscopo et Episcopis Nos dedisse noveritis in mandatis, ut ex tunc auctoritate Nostra suffultis, idoneum vobis Pastorem assignent, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. – Datum apud S. Germanum, sexto idus Iulii, Pontificatus Nostri anno primo. – BULLAR. FRANC. tom. IV – (126).

CXXVII.

(ANNO 1256)

Monasterium S. Angeli de Militino Rossanen.

Alexander Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Bisinianen. et Strongulen. Episcopis, et dilecto filio Leoni Canonico Rossanen. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Oblata Nobis ex parte dilectorum filiorum Abbatis et Conventus Monasterii Fontis Laureati Floren. Ordinis, Tropien. dioecesis, petitio continebat, quod fel. record. Gregorius Papa Praedecessor Noster, intellecto quod Monasterium S. Angeli de Militino, tunc Ordinis S. Basilii, Rossanen. dioecesis, adeo erat in spiritualibus et temporalibus deformatum, quod vix aliqua Religionis vestigia remanserant in eodem; bonae memoriae Bisinianen. Episcopo, praedecessori tuo, frater Episcope Bisinianen., eiusque Collegae suis dedit litteris in mandatis, ut ad Monasterium ipsum personaliter accedentes, illud infra certum tempus, iuxta eiusdem Ordinis S. Basilii, regulares observantias, si posset fieri, reformarent; alioquin ipsum praefato Abbati Monasterii Fontis Laureati committerent de Floren. Ordine reformandum, dioecesani loci in omnibus iure salvo. Qui iuxta mandatum Apostolicum personaliter accedentes ad locum, et ibidem visitationis officium impendentes, cum Monasterium ipsum in Ordine suo reformare non possent, illud Abbati praedicto reformandum de Floren. Ordine commiserunt; quod etiam Fratres, qui ibidem remanserant, acceptantes, ipsi Abbati professionem fecerunt, promittendo de coetero Floren. Ordinem in omnibus observare. Sed postmodum non solum Officiales quondam Friderici olim Romanorum

tunc vacantem cum suis appendiciis certis finibus designatam, vobis pia et provida deliberatione donaverit, concedens ut domos, officinas et Ecclesiam iuxta consuetudinem vestri Ordinis construere et alia inibi utilia vobis facere valeretis, quod postmodum venerabilis frater Noster Cathacensis Episcopus successor illius ratum habens et gratum id auctoritate propria confirmavit, prout in litteris dictorum Electi et Episcopi confectis exinde plenius continetur; Nos vestris supplicationibus inclinati, quod per dictos Electum et Episcopum in hac parte factum est ratum habentes et gratum, id auctoritate Apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus, tenorem litterarum ipsarum de verbo ad verbum inseri praesentibus facientes. Tenor autem litterarum dicti Electi talis est: « In nomine Domini, Amen. – Anno Dominicae Incarnationis millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo, mense Aprilis decimae indictionis. Expedit scribi, quidquid non expedit oblivisci. Inde est, quod Nos Fortunatus divina miseratione Cathacen. Ecclesiae Electus praesente scripto fatemur, quod ad humilem petitionem Fr. Pauli Ministri Fratrum Minorum in Calabria existentium et aliorum Fratrum Ordinis Minorum, de communi consilio et consensu et voluntate Capituli nostri, habita deliberatione diligenti, concessimus et contulimus Fratribus Minoribus praesentibus et futuris in civitate Catanzarum commorantibus, Ecclesiam nostram SS. Trinitatis sitam in eadem civitate Catanzarii infra fines inferius designatos cum toto territorio vacuo in planitie circumadiacenti et appendiciis, exceptis vineis, ad mansionem et omnes officinas, Ecclesiam, et alias domos et hortos secundum consuetudinem Ordinis sui relevandos et constituendas et alia utilia facienda, sicut eis videbitur expedire, ponendo vel mittendo dictum fratrem Paulum Ministrum in corporalem possessionem nomine Ordinis; adiicientes tamen, quod eamdem Ecclesiam habeant et possideant Fratres Minores nomine nostrae Matricis Ecclesiae Cathacen. sine praeiudicio alicuius iuris parochialis et gravamine; et si aliquo tempore contigerit, quod praefatam Ecclesiam SS. Trinitatis Fratres praedicti sua sponte desererent, et recedere voluerint mansionem alibi eligentes, licitum sit nobis et successoribus nostris sine contradictione alicuius eumdem locum ad proprietatem et domi-

censis Ecclesiae frater Ioannes de Sancto Philippo, et frater Robertus de Monte Alto, de Ordine Fratrum Minorum, pro parte Ministri et Fratrum Calabriae venientes significare curarunt, quod cum olim impetrassent Litteras Apostolicas ad Capitulum Cathacensis Ecclesiae, Sede vacante, quod quemdam locum ipsius Ecclesiae intra civitatem Catanzarum constitutum, videlicet locum SS. Trinitatis cum toto territorio sibi adiacente et omnibus appendiciis, sicut in instrumento a Capitulo ipso indulto plenius continetur, ipsius Fratribus ad habitandum pro Dei servitio concederet et donaret, pro eo quod locus alius, quem in territorio eiusdem terrae inhabitaverant, utpote a terra remotus eis laboriosus erat et damnosus multis, quibus non poterant propter loci distantiam celeriter subvenire, praedictum Capitulum tamquam obedientiae filii sine morae dispendio executioni ipsi mandarunt; et ipsos in corporalem plenam et vacuam loci possessionem, sicut asserunt, induxerunt. Unde nobis supplicaverunt humiliter et devote, quod nos Capituli concessionem ratam habentes nostri praeberemus auctoritatem assensus; quorum iustis et dignis petitionibus inclinati in nomine Domini nostri Iesu Christi, ad honorem B. Francisci et favorem sui Ordinis concessionem ipsam, quantum possumus, eam habemus et firmam et factam: atque illam utpote honestam et sanctam, nostra Episcopali auctoritate firmamus; ac etiam, si oportet vel expedit, interveniente consensu Capituli, de novo concedimus et donamus. Ita tamen, quod si Fratres praedicti se sponte ad inhabitandum alium locum transtulerint, illo loco relicto, idem locus remaneat Matrici Ecclesiae Cathacensi. Ad futuram itaque memoriam et Fratrum cautelam, hoc praesens scriptum inde fieri fecimus, sigillo nostro pendente munitum, et nostra attestatione propria roboratum, donec redeunte gratia, temporum concessionis nostrae simul et praedicti Capituli, si expediverit, recipiant munimentum. Scriptum anno praemisso, indictione decima. Nos Frater Iacobus Episcopus Cathacen. supradicta confirmamus ». — Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei etc. – Datum Laterani, quinto kal. Ianuarii, Pontif. Nostri anno tertio. – Bullar. Franc. tom. II – (128).

CXXX.

CLEMENS PP. IV.

(ANNO 1265)

De Canonicis Graecis Ecclesiae Rossanensis.

Clemens Episcopus, *Servus servorum Dei, Episcopo Albanensi, Apostolicae Sedis Legato.* — Dilecti filii Capitulum Canonicorum Graecorum Ecclesiae Rossanensis in Calabria, per speciales nuncios, quos ad Sedem Apostolicam destinarunt, humiliter postulari fecerunt a Nobis, ut cum Ecclesia ipsa, quae Graecum habere Archiepiscopum consuevit, dudum fuerit Pastoris solatio destituta, et ipsi propter inhibitionem quam olim Sedes Apostolica ne Capitula Ecclesiarum Cathedralium et Conventualium vacantium Regni Siciliae per electionem, postulationem aut nominationem aliquam sibi et eisdem Ecclesiis de Praelatis providere praesumerent edidit, nequierint sibi et praedictae Rossanensi Ecclesiae per electionem canonicam more solito consulere de Pastore; dilectum filium A. Archipresbyterum ipsius Ecclesiae, virum, ut asserunt, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum, morum honestate decorum, ac etiam litteratura graeca et latina competenter instructum, in quem propter suae probitatis merita universi praefatae Ecclesiae Canonici sua vota unanimiter direxerunt, ipsis et eidem Ecclesiae, ne per idiomatis diversi Praelatum seu per vacationem diutinam deformationis perferat detrimentum, in Archiepiscopum et Pastorem de solita Sedis Apostolicae clementia praeficere curaverimus. Sane debita meditatione pensantes, quod cum de provisionibus Ecclesiarum vacantium, et specialiter Cathedralium, adhibere attentionis maternae studium, ut eaedem Ecclesiae votivae consequantur consolationis effectum, illorumque votis de dicto Archipresbytero annuere conscientia salva nequivimus, cum de ipso notitiam habere commode non possumus; quia vero tu super provisione ipsius Ecclesiae tanto severius et utilius procedere poteris, quanto tibi, utpote in vicino posito, plenius constare poterit de praefati Archi-

cumque bona idem Monasterium in praesentiarum iuste ac canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis praestante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant. In quibus haec propriis duximus vocabulis exprimenda: Locum ipsum, in quo praefatum Monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis; S. Dominicae et S. Petri Ecclesias, cum hominibus, vineis, terris et aliis pertinentiis earumdem: Ecclesiam S. Angeli de Militino, Rossanen. dioecesis, a fel. record. Alexandro Papa Praedecessore Nostro vobis pia libertate concessam: grangiam de Paula cum casali et portu, vineis, terris, silvis et agris; et tenimentum quod dicitur Campanisii infra fines Fuscaldi. In tenimento Montis Alti Ecclesiam, quae fuit olim Michaëlis de Dilecta, et tenimentum quod dicitur Gardus Planus. Tenimentum quod habetis in Sila prope Sanctum Maurum cum pascuis, usibus, et aliis pertinentiis suis. Domum, casalena et olivetum, quae in civitate Consentia et eius finibus possidetis; domos, vineas et terras in Flumine Frigido; domus et casalia in Amanthea; pomerium cum vinea in flumana eiusdem castri de Amanthea, quam dicitis Cathocastrum, cum vineis et possessionibus quae fuerunt Fr. Richardi: culturas de Farvetis, de Marretis et de S. Ioanne de Oliva: terras de Grima et de Suberellis cum vineis, terris et possessionibus, quas in praedicti castri finibus possidetis: grangiam quoque de Cucculati, cum molendino; tenimenta quae habetis in finibus Petraemalae et Sabbuti; culturam de Turbulo in tenimento Nuceriae cum domibus, vineis et omnibus aliis pertinentiis eorumdem: possessiones quas habetis apud Furcam et apud Reginam, et in Pantosa, in tenimento Mendicini, et domum in S. Lucido: tenimentum quod Falcunaria vulgariter appellatur, cum pratis, vineis, terris, nemoribus, usuagis et pascuis, in bosco, in plano, in aquis, in molendinis, in viis et semitis, et omnibus aliis libertatibus et immunitatibus suis. Specialiter libertates et immunitates a bonae mem. Rodulpho et Ioanne Tropeien. Episcopis Monasterio vestro indultas. Sane laborum vestrorum de possessionibus habitis ante Concilium Generale, ac etiam novalium quae propriis manibus aut sumptibus colitis, de quibus novalibus aliquis hactenus non

contra statuta Florensis Ordinis, se aliquatenus intromittat. Si vero Episcopus, in cuius Parochia domus vestra fundata est, cum humilitate ac devotione qua convenit requisitus, substitutum Abbatem benedicere et alia quae ad officium Episcopale pertinent vobis conferre renuerit, licitum sit eidem Abbati, si tamen Sacerdos fuerit, proprios novitios benedicere, et alia quae ad officium suum pertinent exercere, et vobis omnia ab alio Episcopo percipere, quae a vestro fuerint indebite denegata. Illud adiicientes, ut in recipiendis professionibus, quae a benedictis vel benedicendis Abbatibus exhibentur, ea sint earum forma et expressione contenti, quae ab origine Ordinis noscuntur instituta, ut scilicet Abbates ipsi, salvo Ordine suo, profiteri debeant, et contra statuta Ordinis sui nullam professionem facere compellantur. Pro consecrationibus vero altarium vel Ecclesiarum, sive etiam Oleo sancto, vel quolibet alio ecclesiastico Sacramento nullus a vobis sub obtentu consuetudinis vel alio modo quidquam valeat extorquere; sed haec omnia gratis vobis Episcopus dioecesanus impendat. Alioquin liceat vobis quemcumque malueritis Catholicum adire Antistitem, gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentem, qui Nostra fretus auctoritate, vobis quod postulatur impendat. Quod si sedes dioecesani Episcopi forte vacaverit, interim omnia ecclesiastica Sacramenta a vicinis Episcopis accipere libere et absque contradictione possitis; sic tamen, ut ex hoc in posterum propriis Episcopis nullum praeiudicium generetur. Quia vero interdum propriorum Episcoporum copiam non habetis, si quem habetis Romanae Sedis ut diximus gratiam et communionem habentem, et de quo plenam notitiam habeatis, et per vos transire contigerit, ab eo benedictiones vasorum et vestium, consecrationes Altarium et ordinationes Monachorum auctoritate Apostolicae Sedis recipere valeatis. Porro si Episcopi vel alii Ecclesiarum Rectores in Monasterium vestrum vel personas ibi constitutas suspensionis, excommunicationis vel interdicti sententias promulgaverint, sive etiam in mercenarios vestros, pro eo quod decimas, sicut dictum est, non persolvitis, sive aliqua occasione eorum quae ab Apostolica benignitate vobis indulta sunt, seu benefactores vestros pro eo quod aliqua vobis beneficia vel obsequia ex caritate praestiterint, vel ad laboran-

idus Febr. indictione decima, Incarnationis Dominicae millesimo ducentesimo sexagesimo, Pontificatus vero Nostri anno tertio. - UGHELLI, tom. IX - (131).

CXXXII.

(ANNO 1268)

Ut Episcopus Cassanensis legitime regat Ecclesiam suam.

Clemens Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Albanen., Apostolicae Sedis legato, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Significavit Nobis venerabilis frater Noster Marcus de Assisio Ord. Fratrum Minorum, Cassanen. Episcopus, quod dudum, significante Nobis dilecto filio Generali Ministro Fratrum eiusdem Ordinis, quod licet per litteras Sedis Apostolicae fuerit inhibitum ut nulli Fratres ipsius Ordinis, si eos in Episcopos eligi aut postulari forte contigerit, electioni vel postulationi de se factae auderent aliquatenus consentire, nec aliquis Archiepiscopus seu quicumque alius Praelatus vel etiam Legatus Sedis ipsius dictos Fratres, nisi de Generalis Fratrum eiusdem Ordinis vel Provincialium Ministrorum, qui pro tempore essent, licentia et consensu, aut speciali mandato Sedis eiusdem, ad Episcopatum vel alias quaslibet dignitates extra dictum Ordinem assumere praesumerent, vel etiam ordinare. Per easdem quoque litteras fit decretum, irritum et inane quidquid contra inhibitionem huiusmodi a quibuscumque contingeret attentari, auctoritate Apostolica semper salva. Nonnulli tamen Fratres Ordinis memorati intra Legationis tuae terminos existentes electionibus seu postulationibus de se ad Archiepiscopatus et Episcopatus diversos Legationis eiusdem factis, contra inhibitionem et decretum earumdem de facto confirmati esse dicebantur. Nos, ad dicti Ministri instantiam, tibi per Nostras litteras duximus iniungendum, ut inquisita super his diligentius veritate, praedictos Fratres, quos taliter promotos invenires ad huiusmodi seu ad alias quaslibet dignitates, ab officio et beneficio auctoritate Nostra suspenderes, etiam si ad consecrationem processum esset quomodolibet per quoscumque: eosdem quoque sic suspensos ad Nos mitteres infra

competentem terminum, quem eis duceres peremptorie praefigendum, pro meritis recepturi. Verum cum idem Frater electioni seu postulationi de se factae in Episcopum Cassanensem absque dicti Ministri licentia de mandato tuo consenserit, ac tu postmodum eum feceris in Episcopum consecrari; Nos attendentes multiplicia dona virtutis, gratiae ac laudabilis vitae merita dicti Fratris, super quibus laudabile sibi testimonium perhibetur, sperantes quoque, quod per ipsius Fratris ministerium Cassanen. Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus votivae, Deo auctore, provenient incrementa; mandamus, quatenus cum eodem Fratre, decreto et inhibitione et aliis supradictis nequaquam obstantibus, huiusmodi provisio facta de ipso Fratre in Cassanen. Episcopum, ac quidquid actum est circa eam, robur obtineat firmitatis; quodque etiam idem Frater Episcopus ac Pastor dictae Ecclesiae legitime remanere, ac officii sui debitum exequi libere valeat, prout expedire videris, auctoritate Nostra dispenses, supplendo nihilominus auctoritate eadem omnem defectum, si quis praedictorum occasione extitit in praemissis vel in aliquo praemissorum. - Datum Viterbii, decimoprimo kal. Maii, Pontificatus Nostri anno quarto. - BULLAR. FRANC. tom. III - (132).

CXXXIII.

(ANNO 1268)

Ecclesia S. Matthaei pro Fratribus Praedicatoribus in civitate Consentiae.

Clemens Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri nostro Archiepiscopo Consentino, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Licet ad humilem supplicationem dilectorum filiorum Fratrum Praedicatorum, ut eisdem concederes Ecclesiam S. Matthaei sitam Consentiae, ad Archiepiscopalem Mensam spectantem, ad domum sui Ordinis construendam animum inclinaveris, prout tuae praesentatae Nobis litterae continebant, tu tamen super hoc Nostram per easdem litteras duxisti licentiam postulandam; Nos igitur, tuum in hac parte laudabile propositum commendantes, fraternitati tuae licentiam concedimus postulatam, ita tamen quod eisdem Fratribus ad construendas domos et faciendum claustrum

et hortum, sufficienti per te spatio assignato, reliquae possessiones omnes et redditus eiusdem Ecclesiae ad proprietatem Mensae praescriptae integre reserventur. - Datum apud Cryptam Ferratam, tertio kal. Octobris, Pontificatus Nostri anno quinto. - BULLAR. PRAED. tom. III - (133).

CXXXIV.

B. GREGORIUS PP. X.

(ANNO 1274)

Quoddam casale in Calabria Messanensi Ecclesiae restitui mandat.

Gregorius Episcopus, *Servus servorum Dei, carissimo in Christo filio illustri Regi Siciliae, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Honori regio expedire credimus et saluti, si nonnulla tibi Apostolicis exhortationibus suademus, in quorum executionem praemium divinae laudis acquiratur et Ecclesiarum indemnitatibus praecavetur. Sane, sicut venerabilis frater Noster Archiepiscopus Messanensis Nobis exposuit, olim Ecclesia Messanensi vacante ac carente legitimo defensore, Vicarius tuus in Sicilia ad mandatum Regium, ut dicitur, eamdem Ecclesiam quodam eius iardino sito iuxta muros civitatis Messanensis, in cuius possessione pacifica tunc dicta Ecclesia existebat, pro sua voluntate destituit, ac tuo demanio contra iustitiam deputavit; ac nobilis vir Gualterius de Appardo quoddam casale in Calabria, quod Ferlito vulgariter nuncupatur, ad eamdem Ecclesiam pertinens, motu proprio occupans, illud detinet occupatum, in ipsius Archiepiscopi et Ecclesiae non modicum praeiudicium et gravamen. Quare dictus Archiepiscopus Nobis humiliter supplicavit, ut tibi super hoc Apostolica scripta dirigere curaremur. Quocirca excellentiam Regiam rogamus et hortamur attente, quatenus eidem Archiepiscopo pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia, iardinum et Casale praedicta prout ad te pertinet, restituas, seu restitui facias cum fructibus perceptis medio tempore ex iisdem, et alias in recuperandis, redintegrandis et manutenendis iuribus ipsius Ecclesiae, quibus Sede Messanensi vacante dicta Ecclesia

impingebantur tibi, frater Episcope; quia nihil de praedictis contra personam tuam invenimus sufficienter esse probatum, super praemissis te sententialiter absolventes, eidem Ioanni super iis perpetuum silentium duximus imponendum. - Datum Reate, sexto kal. Octobris, Pontificatus Nostri anno quinto. - UGHELLI, tom. IX - (136).

CXXXVII.

(ANNO 1276)

Processus electionis Episcopi S. Marci.

Gregorius Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Capuano salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Cathedrali Ecclesiä S. Marci in Calabria, quae ad Romanam Ecclesiam nullo medio spectare dignoscitur, per obitum bon. mem. M. Episcopi S. Marci nuper carente Pastore, dilecti filii Capitulum eiusdem Ecclesiae, vocatis omnibus qui voluerunt, potuerunt et debuerunt commode interesse, ad providendum ipsi Ecclesiae de Praelato, ut moris est, insimul convenerunt; et demum post multos tractatus super hoc habitos, per scrutinii viam eligentes procedere, tres de ipso Capitulo, videlicet G. Archidiaconum, B. Thesaurarium et Bartholomaeum Canonicum eiusdem Ecclesiae assumpserunt, ut ipsi vota singulorum diligenter inquirerent et etiam publicarent. Qui iuxta formam sibi traditam in huiusmodi negotio procedentes, suis et aliorum super hoc voluntatibus exquisitis, mox eas in communi Capitulo publicarunt. Comperto itaque, quod omnes de dicto Capitulo in dilectum filium Fr. Petrum de Morano, lectorem Ordinis Minorum, unanimiter direxerunt vota sua, memoratus Archidiaconus vice sua et aliorum omnium de dicto Capitulo de mandato eorum memoratum Fratrem Petrum postulando elegit, et eligendo postulavit in Pastorem et Episcopum Ecclesiae memoratae, supradictis Capitulo a Nobis humiliter peti facientibus, ut processum acceptare huiusmodi de benignitate solita dignaremur. Cum autem constet, praefatum Fr. Petrum a Provinciali suo Ministro consentiendi electioni huiusmodi licentiam habuisse; Nos Ecclesiam

corum redituum et proventuum ad Terrae Sanctae subsidium per sex annos a festo Nativitatis B. Ioannis Baptistae tunc transacto novissime numerandos concessit, tibique postmodum suis dedit litteris in mandatis, ut praedictae decimae colligendae in Calabria et Sicilia subscripto modo sollicite curam gereres; videlicet quod in singulis civitatibus et dioecesibus partium earumdem, de consilio locorum Ordinariorum, aut eius vices gerentis, si dioecesanus ipse absens foret, et duorum fide dignorum de Ecclesia Cathedrali constitutorum in dignitatibus, seu aliorum quoad non exemptos, quoad exemptos vero de consilio aliquorum proborum de contrata, deputares duas personas cum fide et facultatibus, si tales invenirentur commode, ac alias idoneas ad collectionis huiusmodi ministerium exequendum. Collectores vero, quos, ut praemittitur, deputares, sub forma iurare faceres in eisdem litteris adnotata. Et ut nihilominus partes circuires easdem diligentius scrutaturus qualiter in commissae sibi collectionis officio iidem se collectores haberent, qualiter de decima ipsis satisfieret supradicta, collectamque per illos ex decima ipsa pecuniam, de praedictorum Ordinariorum et aliorum consilio, faceres per collectores eosdem in tutis locis vel loco deponi. Tibi quoque, cum consilio eorumdem Ordinariorum et aliorum mutandi collectores ipsos, quoties expedire videres, ac eos compellendi ad reddendum coram eisdem Ordinariis et aliis tibi computum de collectis, et contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam auctoritate Apostolica compescendi, plenam eadem auctoritate potestatem concessit. Et ut tam tu quam dicti Collectores fructum ex vestris reportaretis laboribus, praemissa tibi et eis in remissionem peccatorum iniunxit, et nihilominus a praestatione decimae pro annis illis, quibus circa ea laboraveritis, esse voluit vos immunes. Te praeterea illius Indulgentiae concessit esse participem, quae Crucesignatis personaliter transfretantibus in Terrae Sanctae subsidium est concessa, et quod de pecunia ex ipsa decima colligenda singulis diebus, in quibus circa praemissa vacares, unum augustalem perciperes pro expensis. Non obstante si aliquibus a Sede Apostolica esset indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, quae de indulto huiusmodi ac tota eius continentia de verbo ad verbum et de propriis

gubernentur Rectores, et per duces perspicuos in suis gregibus dirigantur. Olim siquidem Rhegina Ecclesia per obitum bon. mem. Iacobi Archiepiscopi Rhegini, Pastoris regimine destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem Ecclesiae, prout Nobis exponere curaverunt, vocatis omnibus qui voluerunt debuerunt et potuerunt commode interesse, convenientes in unum, Spiritus Sancti gratia invocata, dilectum filium Robertum de Castellione, Decanum ipsius Ecclesiae, quasi per inspirationem, in Rheginum Archiepiscopum communiter et concorditer elegerunt, ac idem Decanus suum praestitit huiusmodi electioni consensum; dictique Capitulum facientes Nobis postmodum eiusdem electionis decretum per suos ad hoc procuratores idoneos et nuntios praesentari et Nobis, ut electionem confirmaremus eamdem, suppliciter postularunt. Nos igitur electionem ipsam et personam Electi per aliquos ex Fratribus Nostris, prout moris est, examinari fecimus diligenter. Et quia invenimus eam de persona in scientia ad regimen eiusdem Ecclesiae patiente defectum minus canonice celebratam, electionem eamdem de Fratrum Nostrorum consilio, exigente iustitia, cassavimus et irritavimus; et cassam et irritam nuntiantes, Nobis ea vice provisionem praedictae Ecclesiae duximus reservandam. Coeterum periculis, quae per vacationem diutinam possent eidem Ecclesiae imminere, provisione celeri occurrere intendentes; ac illam ad ipsius regimen desiderantes personam assumi, cuius essent Nobis virtutum merita non ignota, et per cuius industriam posset eadem Ecclesia in spiritualibus et temporalibus salubriter gubernari; in te Fratrum Minorum Ordinis Professorem direximus Nostrae considerationis intuitum, quem Nobis de litterarum scientia, vita laudabili, conversatione placida, morum honestate, discretionis et consilii maturitate, prudentia, et spiritualium et temporalium providentia fide dignorum testimonia ac familiaris et diutina experientia approbasse noscuntur. Quapropter volentes gregi Dominico speciali providere diligentia, de praedictorum Fratrum Nostrorum consilio et Apostolicae Sedis plenitudine potestatis, te praedictae Ecclesiae praefecimus in Archiepiscopum et Pastorem; tibique consecrationis munus Nostris manibus duximus impendendum, firmam spem fiduciamque tenentes, quod dicta Ecclesia per tuam solertem industriam et

proles id indicat manifeste. Ac idem Tropien. Episcopus in reprobum sensum datus, eidem mulieri veluti affectu coniugali astrictus, aurum, anulos, et nonnulla alia ornamenta Pontificalia et bona ad praedictam Tropien. Ecclesiām spectantia non est veritus sub eiusdem clavium ponere potestate; quinimmo praemissus Episcopus in bonis dictae Tropien. Ecclesiae, quantum in eo fuit, constituere satagens prolem praedictam haeredem, nonnulla de dictis bonis locationis titulo, aliqua vero in dotem proli concessit eidem. Ad haec praefatus Episcopus in sanguinem innoxium delinquere non formidans, hostis antiqui spiritu agitatus, abortire quamplures humanos conceptus et tradi suspendiis nonnullos homines procuravit. Ad suae quoque damnationis cumulum, nominatus Episcopus advertere negligens, quod usuras utriusque Testamenti pagina detestatur, illas praesumit damnabiliter exercere in suae salutis interitum et etiam perniciosum exemplum. Hic etiam, sanae mentis contempto consilio, a Vicario tunc bon. mem. I. Archiepiscopi Rheginen. Metropolitani sui interdicti ligatus sententia, quae nulla legitima extitit revocatione suspensa, factus contemptor clavium Ecclesiae, manifestus non veretur se divinis Officiis temere immiscere. Praeterea, cum violenti manuum iniectores in personas Ecclesiasticas sint pro absolutionis obtinendo beneficio ad Sedem Apostolicam remittendi, saepefatus Episcopus supra se ipsum notabiliter elevatus, illos non sine iniuria eiusdem Sedis a sententia super hoc a Canone lata, quam incurrerunt, absolvere propria temeritate pecunia corruptus praesumit. Coeterum idem Episcopus sub laqueo avaritiae constitutus, laicos indifferenter et idiotas ascribere militiae clericali, ministra pecunia, non expavens, quamquam ad Concilium Lugdunense proximo praeterito tempore celebratum vocatus nullatenus accessisset, nihilominus tamen ultra quadraginta uncias auri a Clericis subditis suis praetextu ipsius Concilii exigere et extorquere praesumpsit. Quid plura? Praefatus Episcopus, periurii crimine multipliciter irretitus, decimam de reditibus suis debitam subsidio Terrae Sanctae adeo defalcavit, quod de summa centum et quadraginta unciarum auri, quam redditus ipsi attingunt, octo dumtaxat uncias pro decima solvit Collectori inibi deputato; ac nonnulla alia committit enormia, quae Deum offendunt et homines scandali-

zant, et limam supradictae Sedis exposcunt. Nos itaque, qui ex suscepti cura regiminis nefandis actibus subditorum tenemur occurrere remediis opportunis, ex iis vehementius obstupescentes, ac propter hoc certiorari investigatiori studio cupientes, an haec veritati deserviant quae clamosa insinuatio asseveret; ne dicti Episcopi sanguis de Nostris manibus requiratur, discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum, ipsum Episcopum ex parte Nostra peremptorie citare curetis, ut infra quinquaginta dierum spatium post citationem vestram personaliter compareat coram Nobis, prout praemissorum qualitas exegerit recepturus. Diem vero citationis, et formam et quidquid inde feceritis, Nobis per vestras litteras harum seriem continentes fideliter intimare curetis. Non obstante indulgentia, qua tibi, Fili Guardiane, vel Ordini tuo dicitur concessa etc. – Datum Romae, apud S. Petrum, idibus Ianuarii, Pontificatus Nostri anno tertio. – BULLAR. FRANC. tom. III – (140).

CXLI.

(ANNO 1280)

Pro negotio Terrae Sanctae cum Carolo Siciliae Rege.

Nicolaus Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Gentili, Archiepiscopo Rhegino, Administratori Episcopatus Aliphani, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — De tuae circumspectionis industria Nobis utique non ignota plenam in Domino fiduciam obtinentes, te ad civitatem Ianuen. pro Terrae Sanctae negotio destinamus. Cum autem, sicut accepimus, carissimus in Christo filius Noster Carolus Rex Siciliae illustris ad Civitatem sit venturus eamdem, ac sua certa negotia cum Ianuensibus civibus tractaturus, fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus praefato Regi super eisdem negotiis licite promovendis honestis consiliis dignisque favoribus et auxiliis adesse procures, laboribus non parcendo, sic te in his sollicite et efficaciter habiturus, ut Deo exinde placeas, Romanae Ecclesiae honor crescat, et tuae operosae sollicitudinis studium praefatus Rex sibi super hoc sentiat fructuosum, Nosque prudentiam et

diligentiam tuam exinde non immerito commendemus. – Datum apud Urbem Veterem, kal. Octobris, Pontificatus Nostri anno tertio. – RAYNALDI, tom. IV – (141).

CXLII.

(ANNO 1280)

Pro Ecclesia Neocastrensi.

Nicolaus Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Tancredo de Montefuscolo, Episcopo Neocastren.* — Licet immeriti praesidentes, circa curam omnium Ecclesiarum solertia reddimur indefessa solliciti, iuxta pastoralis officii debitum, crediti Nobis Dominici gregis custodiam utiliter gerere, divina cooperante clementia, studemus. Dudum siquidem, intellecto quod Robertus, qui pro Neocastren. Episcopo se gerebat, simoniacum habuerat ingressum, bona Neocastren. Ecclesiae dilapidabat et enormiter consumebat, quodque incontinentiae vitio laborabat, et super his et aliis gravibus et enormibus excessibus erat publice diffamatus, ipsum auctoritate litterarum Nostrarum citari fecimus, ut coram Nobis certo termino personaliter compareret, prout praemissorum qualitas exigeret recepturus, ei nihilominus omni alienationis genere interdicto, sicut in eisdem litteris plenius continetur. Eodem itaque Roberto coram Nobis, licet post praefixum sibi terminum, generaliter comparente, super praemissis tam per Nos quam per alios ex Fratribus Nostris incepimus inquirere diligenter; et tandem idem Robertus libere in Nostris manibus honori et oneri cessit spontaneus, ne forsan compelleretur invitus. Nos autem cessionem huiusmodi admittentes, provisionem eiusdem Ecclesiae illa vice Nobis duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane si secus a quoquam scienter vel ignoranter contigeret attentari. Et tandem paterna volentes sollicitudine praecavere, ne ipsa Ecclesia dispendia prolixae vacationis incurreret, ad personam tuam, cum habearis virtute laudabilis, religionis claritate conspicuus, praecarus meritis et alias in spiritualibus et temporalibus circumspectus, Nostrae considerationis aciem extendentes, sperantes quoque quod eamdem

runt, ex cuius publicatione comperto quod omnes et singuli de dicto Capitulo in dilectum filium Marcum, Canonicum eiusdem Ecclesiae, direxerant unanimiter vota sua, dictus Archidiaconus de licentia eiusdem Capituli ac suo et dicti Cantoris nomine, in eodem Capitulo elegit eumdem Marcum in eiusdem Ecclesiae Episcopum et Pastorem. Cumque postmodum dictum Capitulum fel. record. Praedecessori Nostro electionem huiusmodi praesentantes ipsam postulassent humiliter confirmari, idem Praedecessor per venerabilem fratrem Episcopum Albanen. et dilectos filios Nostros A. tituli S. Praxedis Presbyterum et Ioannem S. Mariae in Cosmedin Diaconum Cardinales examinari diligenter fecit eamdem. Verum quia pro eo quod licet constet de tempore quo huiusmodi electio facta fuit, dies tamen obitus dicti Episcopi per ea quae coram eisdem examinatoribus fuerunt exhibita, non apparet, dubitatur, nec immerito, an eadem electio infra trimestre tempus fuerit celebrata. Et quia postmodum fuit assertum, quod quidam dicti Electi consanguineus pro eodem electo in eadem Ecclesia in Episcopum promovendo, quibusdam ex ipsis Capitulo dicti electi nomine promisit dare ad opus ipsius Ecclesiae quamdam pecuniae quantitatem, ac quod dictus Electus tempore quo electus extitit, patiebatur in aetate defectum; Nos super omnibus huiusmodi negotii circumstantiis certificari volentes, ut in huiusmodi negotio securius et salubrius procedamus, discretioni igitur vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus tam super praemissis, quam etiam super eo quod in instanti vacatione ipsius Ecclesiae S. Marci alia dicitur ante istam, de qua agitur, electio celebrata, inquiratis, iuxta interrogatoria quae iidem Cardinales vobis sub suis mittunt sigillis inclusa, diligentius veritatem, et quae inveneritis Nobis per vestras litteras harum seriem continentes, studeatis fideliter intimare. Si vero, fili Custos, a Provincia in Custodiae officio tibi commissa te abesse contigerit, volumus, ut is, qui Vicarius tuus generalis in eadem Custodia fuerit, praemissa una tecum, frater Episcope, exequatur. Non obstante si tibi, fili Custos, vel fratribus tui Ordinis a Sede Apostolica sit indultum, quod de negotiis, quae vobis per litteras Apostolicas committuntur, vos intromittere non teneamini inviti, quae de indulto huiusmodi plenam et expressam non fece-

rint mentionem. – Datum apud Urbem Veterem, quinto idus Decembris, Pontificatus Nostri anno primo. – BULLAR. FRANC. tom. III – (143).

CXLIV.

(ANNO 1283)

Pro Archidiaconatu Ecclesiae Squillacensis.

Martinus Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Cantori Ecclesiae Cathacensis salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Ad audientiam Nostram pervenit, quod tam dilectus filius Archidiaconus Squillacen, quam praedecessores sui Squillacen. Archidiaconi, qui fuerunt pro tempore, decimas, terras, domus, vineas, hortos, prata, pascua, nemora, casalia, reditus, molendina, iura, iurisdictiones et quaedam alia bona ad Archidiaconatum suum Squillacensem spectantia, nonnullis Clericis et laicis, aliquibus eorum ad vitam, quibusdam vero ad non modicum tempus, et aliis perpetuo, ad firmam vel sub annuo censu concesserunt, datis super hoc litteris, factis renunciationibus, interpositis iuramentis, et poenis adiectis, in eiusdem Archidiaconatus non modicam laesionem, quorum aliqui dicuntur super his confirmationes in forma communi a Sede Apostolica impetrasse. Cum igitur Nostra interest super hoc de opportuno remedio providere, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus ea quae de bonis ipsius Archidiaconatus per concessiones huiusmodi alienata inveneris illicite vel distracta, non obstantibus litteris, renunciationibus, iuramentis, poenis et confirmationibus praedictis, ad ius et proprietatem eiusdem Archidiaconatus legitime renovare procures, contradictores per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, censura simili appellatione cessante compellas veritatis testimonium perhibere. – Datum apud Urbem Veterem, kalendis Iulii, Pontif. Nostri anno tertio. – TROMBY, tom. VI – (144).

CXLV.

NICOLAUS PP. IV.

(ANNO 1291)

Pro Monialibus S. Clarae in civitate Consentiae.

Nicolaus Episcopus, *Servus servorum Dei*, *venerabilibus fratribus Baren., et Brundusin., Archiepiscopis, ac Episcopo Montis Viridis salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Sua Nobis dilectae in Christo filiae Abbatissa et Sorores Monasterii Consentiae, Ordinis S. Clarae, petitione monstrarunt, quod olim, eis significantibus Nobis, Monasterium ipsum, de cuius reditibus et proventibus annuis quadraginta Sorores quae in eo divinis obsequiis insistebant congruae substentationis auxilio hactenus fovebantur, propter violentos malignorum incursus et gravia guerrarum discrimina, quae in illis partibus excreverant, adeo erat dissipatum in bonis, quod iam non modici temporis spatio nihil poterant percipere de eisdem. Quamobrem contractis debitis, prout urgens necessitas exigebat, et eleemosynarum quaesitis subsidiis quas fidelium pia compassio erogabat eisdem, se usque tunc in eodem Monasterio substentarunt, quodque quia iam summa egestate laborabant omni pene suffragio destitutae, cum generaliter dictarum partium incolae illis subvenire non possent paupertatis onere praegravati, ac eas oporteat de Monasterio praedicto recedere, cum in illo unde possent vivere non haberent, nec eis ibidem moram contrahere tutum esset; supplicantibus Nobis, ut ipsarum miserabili statui paterno compatientes affectu, circa eas tantis ac tam gravibus obductas angustiis dignaremur misericorditer providere. Nos huiusmodi petitioni earum pie annuere intendentes, et volentes benignius ipsas ob reverentiam Dei, cuius se dedicarunt obsequiis, favore prosequi opportuno, bon. mem. Gerardo Episcopo Praenestino, tunc in partibus illis Apostolicae Sedis Legato, Nostris dedimus litteris in mandatis, ut eisdem Abbatissae et Sororibus de aliqua summa pecuniae, de qua expediens videretur eidem, ab

CXLVI.

BONIFACIUS PP. VIII.

(ANNO 1296)

Concessionem Ecclesiae S. Petri iuxta ripas Tropeae confirmat.

Bonifacius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis Guardiano et Fratribus Ordinis Minorum Tropien. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Cum a Nobis petitur quod iustum est et honestum, tam vigor aequitatis quam ordo exigit rationis ut id per sollicitudinem officii Nostri ad debitum perducatur effectum. Exhibita Nobis siquidem vestra petitio continebat, quod cum in terra Tropeae Fratres vestri Ordinis locum vel habitaculum non haberent, plebs Tropien. devotionis et caritatis spiritu ducta, Fratres eosdem ad habitandum in eadem terra instanter inducens, venerabili fratri nostro I. Episcopo et dilectis filiis Capitulo Tropien. humiliter supplicavit, ut Fratribus memorati Ordinis pro eorum mansione et habitaculo Parochialem Ecclesiam sitam iuxta ripas Tropeae, spectantem ad collationem ipsorum Episcopi et Capituli, quae tamen collata erat in beneficium Nicolao Presbytero Ecclesiae Tropien., cum horto sibi contiguo, concedere dignarentur; ipse autem Episcopus hoc pro salute animarum inibi habitantium utile ac necessarium reputans, de consilio et consensu praefati Capituli, praedicto Nicolao pro aequivalenti beneficio quadam capella eiusdem Tropaeae Ecclesiae collata, praefati Nicolai ad id libero et expresso accedente consensu, praedictam Ecclesiam S. Petri cum horto sibi contiguo Fratri Roberto tunc Guardiano Fratrum loci Montisleonis praedicti Ordinis et Fratri Thomae de Morano recipientibus, vice et nomine Ministri Provinciae Calabriae ac Fratrum dicti Ordinis, prout spectabat ad eum, duxit canonice concedendam; eosque de dicta Ecclesia S. Petri et horto per suum anulum petentibus litteris investivit, adiicens quod parochiani ipsius Ecclesiae S. Petri ad parochialem dictae Tropien. Ecclesiam devolvantur. Quodque si dictos Fratres, habitaculo ipsius Ecclesiae derelicto, ad alias

mansiones se transferre contigerit, liceat sibi et successoribus suis Ecclesiam ipsam S. Petri et hortum ad ius et proprietatem ipsius Tropien. Ecclesiae revocare, prout de iis omnibus per patentes litteras ipsius Episcopi sigillo munitas plenius continetur. Nos igitur, vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc per eumdem Episcopum provide actum est ratum et gratum habentes, id auctoritate Apostolica ex certa scientia confirmamus et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae confirmationis etc. — Datum Anagniae, decimoquinto kal. Iulii, Pontificatus Nostri anno tertio. – BULLAR. FRANC., tom. IV – (146).

CXLVII.

(ANNO 1298)

Electio Archiepiscopi Consentini.

Bonifacius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Fratri Petro dicto Buccaplanula Ordinis Minorum, electo Consentino, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Coelestis dispositione consilii, per quod in regno mundi ordinatione suscipiunt universa, supremae dignitatis fastigio, licet immeriti, praesidentes, super gregem dominicum Nostrae vigilantiae creditum vigilis speculatoris officium exercemus, circa illa potissime intentum animum dirigendo curamque impendendo sollicitam, per quae divini cultus augmentum, exaltatio catholicae Fidei et commoda salutis proveniant animarum, quae, prout firma spes suggerit, ex eo facilius et efficacius subsequi poterunt, si Ecclesiis pastore carentibus personas praeficiamus idoneas, easque viris providis committamus, qui commissos sibi populos per suam circumspectionem providam et providentiam circumspectam salubriter dirigant et informent, ac bona Ecclesiarum ipsarum non solum gubernent utiliter sed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum siquidem Consentina Ecclesia per obitum bon. mem. Rogerii Consentini Archiepiscopi solatio destituta pastoris, Nos intendentes sollicite, prout ad Nostrum officium spectare dignoscitur, ad

ipsius Ecclesiae provisionem celerem et salubrem, ne illam diutinae vacationis incommoda contingeret experiri, Ecclesiam ipsam a die suae vacationis huiusmodi ordinationi et provisioni Apostolicae Sedis et Nostrae hac vice auctoritate Apostolica duximus reservandam, decernentes ex tunc irritum et inane, si secus de ipsa contra huiusmodi Nostrae reservationis tenorem scienter vel ignoranter contingeret attentari. Levantes igitur in circuitu oculos Nostrae mentis, et ad personam tuam, in qua, prout habet laudabile famae praeconium et multorum fide dignorum relatio profitetur, religionis honestas, elegantia morum, conversationis et vitae munditia, scientia litterarum, discretionis industria et aliarum multiplicium virtutum dona concurrunt, considerationis aciem extendentes, et volentes paternae sollicitudinis studio eiusdem Ecclesiae commodis et utilitatibus providere, de te praedictae Ecclesiae Consentinae de Fratrum Nostrorum consilio et Apostolicae potestatis plenitudine, providemus, teque illi praeficimus in Archiepiscopum et Pastorem, curam et administrationem ipsius Ecclesiae in spiritualibus et temporalibus committendo, firma concepta fiducia quod, dirigente Domino actus tuos, praelibata Ecclesia per tuae circumspectionis industriam dirigatur prospere in utrisque. Reverenter igitur suscipiens impositum tibi onus, ipsius Ecclesiae sollicitam curam geras, gregem dominicum in illa vigilantiae tuae commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod Ecclesia ipsa tuae diligentiae studio multiplici gaudeat commodis, et cooperante clementia summi Regis optatis consurgere valeat incrementis. – Datum Reate, quinto nonas Octobris, Pontificatus Nostri anno quinto. – BULLAR. FRANC., tom. IV – (147).

CXLVIII.

(ANNO 1298)

Pro eodem Archiepiscopo.

Bonifacius Episcopus, *Servus servorum Dei*, *carissimo in Christo filio Carolo Regi Siciliae illustri, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Divinae gratia maiestatis acquiritur, si ministris eius, et iis praecipue qui Pontificali sunt praediti dignitate, ipsis

reverentia, condignus honor impenditur, et favor necessarius exhibetur. Dudum siquidem Consentina Ecclesia *(ut supra, num. praec.)*. Quocirca serenitatem Regiam rogandam attente duximus et hortandam, quatenus eumdem Electum, quem ob suorum exigentiam meritorum benevolentia prosequimur speciali, et commissam sibi Ecclesiam habens pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia propensius commendatos, sic te illi benignum exhibeas, sic favorabilem largiaris ipsum ad eamdem Ecclesiam regalis benevolentiae gratia prosequendo, quod idem Electus tuis praesidiis circumfultus, commissum sibi regimen facilius et efficacius, cooperante Domino, prosequatur, Nosque proinde magnitudinem Regiam dignis in Domino laudibus attollamus. – Datum Reate, quinto nonas Octobris, Pontificatus Nostri anno quinto. – BULLAR. FRANC., tom. IV – (148).

CXLIX.

(ANNO 1299).

Electio Abbatis SS. Trinitatis Miletensis in Episcopum Neocastren.

Bonifacius Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Nicolao Episcopo Neocastren. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Supremae dignitatis fastigio licet immeriti praesidentes, super gregem dominicum Nostrae vigilantiae creditum vigilis speculatoris officium exercemus etc. Dudum siquidem solita Sedis Apostolicae rectitudo, quae in suis actibus a iustitiae semita non declinat, Tancredum, Ordinis Minorum, olim Ecclesiae Neocastren. Episcopum, propter gravia eius demerita culpasque multiplices, quas adhuc eius nefanda temeritas committere non veretur, Ecclesiae ipsius regimine ac omni iure, quod eidem in bonis et iuribus ipsius Ecclesiae competebat, in perpetuum, iustitia exigente, privavit, provisionem eiusdem Ecclesiae ea vice suae dispositioni et ordinationi nihilominus reservando. Decrevit etiam ex tunc irritum et inane, si secus scienter vel ignoranter in hac parte contingeret attentari, prout in eiusdem Sedis processibus, quos archivum Romanae conservat Ecclesiae, plenius et seriosius continetur. Nos itaque diligentius attendentes,

quod Ecclesiarum prolixa vacatio gravia illis dispendia generat, iacturas multiplicat, damna infert; et propterea digne volentes, prout ad Nostrum spectat officium, eiusdem Ecclesiae indemnitatibus praecavere, post deliberationem quam super hoc habuimus diligentem, ad te, tunc Abbatem Monasterii SS. Trinitatis Mileten., convertimus oculos Nostrae mentis; ac intendentes personam tuam multiplicis probitatis titulis insignitam, dono specialis gratiae honorare, te de Fratrum Nostrorum consilio et Apostolicae plenitudine potestatis eidem Neocastren. Ecclesiae in Episcopum praefecimus et Pastorem, curam et administrationem ipsius Ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus committentes, faciendo tibi postmodum per venerabilem fratrem Nostrum I. Episcopum Tusculan. munus consecrationis impendi, firma concepta fiducia, quod dirigente Domino actus tuos praedicta Ecclesia per tuae multiplicis circumspectionis industriam prospere dirigetur, eique salubria dante Domino provenient incrementa. Suscipe igitur reverenter iugum Domini, et suavi eius oneri humiliter colla submitte, et sollicitam ipsius Neocastren. Ecclesiae curam geras, gregem dominicum in ea tibi commissum doctrina verbi et operis informando, ita quod per tuae diligentiae studium memorata Neocastren. Ecclesia spiritualibus et temporalibus proficere valeat incrementis. – Datum Laterani, octavo idus Novembris, Pontif. Nostri anno sexto. – BULLAR. FRANC., tom. IV - (149).

CL.

(ANNO 1301)

Consecratio Episcopi Cassanensis.

Bonifacius Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Neapolitano salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Cum Nos nuper Cassanensi Ecclesiae tunc Pastore carenti de dilecto filio Guillelmo de Cunha, Ordinis Minorum professore, auctoritate Apostolica duxerimus providendum, praeficientes ipsum eidem Cassanensi Ecclesiae, de Fratrum Nostrorum consilio, in Episcopum et Pastorem; fraternitati tuae conferendi munus consecrationis eidem Electo, postquam ab eo super hoc

fueris requisitus, accitis tecum duobus vel tribus Episcopis gratiam et communionem Apostolicae Sedis habentibus, plenam tibi auctoritate praesentium concedimus facultatem. Recepto ab eo postmodum, Nostro et Ecclesiae Romanae nomine, sub ea forma quam tibi sub Bulla nostra dirigimus interclusam, fidelitatis solitae iuramento, tuque nihilominus Nobis per tuas litteras harum seriem continentes plenarie significare non differas, quod fieri contigerit in hac parte. – Datum Laterani, decimo sexto kal. Aprilis, Pontificatus Nostri anno octavo. – BULLAR. FRANC., tom. IV – (150).

CLI.

(ANNO 1301)

Pro eodem Episcopo Cassanensi.

Bonifacius Episcopus, *Servus servorum Dei*, *dilecto filio Guillelmo de Cunha electo Cassanen. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Venerabili fratri Nostro Richardo Episcopo Tricaricen. de Ecclesia Cassanen., cui tunc praeerat et a cuius vinculo eum absolvimus, ad Ecclesiam Tricaricen. Apostolica auctoritate translato, Nos ad provisionem ipsius Ecclesiae Cassanen. salutarem debitis vigiliis consurgentes, et cupientes de tali providere Pastore, qui eam gubernet utiliter, praeservet a noxiis, eamque votiva laetitia consoletur; in te Ordinis Minorum professorem, virum utique litterarum scientia praeditum, morum etiam gravitate decorum, religionis zelatorem, in spiritualibus providum et temporalibus circumspectum direximus oculos Nostrae mentis. Quibus omnibus diligenti consideratione pensatis, de persona tua eidem Ecclesiae Cassanen. providemus, praeficientes te eidem Cassanen. Ecclesiae, de Fratrum Nostrorum consilio et Apostolicae plenitudine potestatis, in Episcopum et Pastorem, tibi curam et administrationem ipsius in spiritualibus et temporalibus committendo, in illo, qui dat gratias et largitur praemia, confidentes, quod Ecclesia ipsa Cassanen. sub tuo felici regimine prospere dirigetur, ac salubria, dante Domino, suscipiet incrementa. Reverenter itaque suscipe etc. – Datum Laterani tertio kal. Martii, Pontificatus Nostri anno octavo. – BULLAR. FRANC., tom. IV – (151).

CLII.

CLEMENS PP. V.

(Anno 1308)

Erectio Conventus Fr. Minorum in castro Nicoterae, tunc Miletensis dioecesis.

Clemens Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Ministro Fratrum Ord. Minorum Provinciae Calabriae, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Ad Ordinem Fr. Minorum et professores ipsius, per quos in horreum Domini salutis fructus uberes inferuntur, sincerae caritatis dirigentes affectum, ipsos in locis, in quibus per eorum ministerium virtuosum fidelium animae deliciarum spiritualium refici valeant ubertate, libentius collocamus. Sane praesentata Nobis ex parte tua petitio continebat, quod cum nonnulli laici de castro Nicoterae, Miletensis dioecesis, ad Ordinem et professores eosdem specialis devotionis habentes affectum, ac sperantes per ipsorum salubrium actionum exempla efficacius dirigi ad salutem, apud te et nonnullos alios ex professoribus ipsis quod in Castro ipso aliquem locum Fratribus eisdem accommodum recipere curaretis frequentius instíterunt. Quare Nobis humiliter supplicasti, ut cum in praefato Castro, quod pro maiori parte inhabitatur a Graecis, Latini Sacerdotes aliqui non existant, ad quos ipsi et alii qui navigantes per mare, iuxta quod praefatum Castrum situm fore dignoscitur, frequenter declinant, recurrere valeant pro his quae ad salutem pertinent animarum, recipiendi in eodem Castro locum huiusmodi vobis concedere licentiam dignaremur. Nos igitur vestris supplicationibus inclinati, vobis recipiendi locum ipsum, sine iuris praeiudicio alieni, fel. record. Bonifacii PP. Octavi Praedecessoris Nostri et qualibet alia Constitutione super hoc in contrarium edita non obstante, plenam vobis licentiam elargimur. Nulli ergo etc. – Datum Pictavis, sexto kal. Iunii, Pontificatus Nostri anno tertio. – Ex Archivo Vaticano. – (152).

CLIII.

(ANNO 1311)

Manfredi (Giffone) electio in Episcopum Miletensem confirmatur.

Clemens Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis universis vassallis Ecclesiae Mileten., salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Suscepti cura regiminis continua pulsat instantia mentem Nostram, ut sollicitudinis debitum, ad quod Ecclesiis universis iugo Apostolicae servitutis adstringimur arcte, earum singulis persolvemus; sed strictius a Nobis exigitur, ut Ecclesiis viduatis, quae Sedi Apostolicae subesse nullo medio dignoscuntur, eo propensius et promptius succurramus, Pastores eisdem idoneos deputando. Quo specialius in hac parte Nostrum interesse prosequimur, ipsis Ecclesiis sic subiectis principalius obligamur. Nuper siquidem Ecclesia Mileten. ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum quondam Andreae Episcopi Mileten. pastoris solatio destituta, dilectus filius Manfredus electus, Mileten. decanus, et Capitulum eiusdem Ecclesiae, vocatis omnibus qui debuerunt, voluerunt et potuerunt commode interesse, die ad eligendum praefixa, ut moris est, convenientes in unum, et Spiritus Sancti gratia invocata, deliberantes in huiusmodi electionis negotio per viam procedere compromissi, tribus ex eis, videlicet Dominico Thesaurario et Rogerio de Monteleone ac Gaufrido Faczaro Canonicis ipsius Ecclesiae providendi ea vice per electionem canonicam eidem Ecclesiae de Pastore concesserunt unanimiter liberam potestatem usque ad certi temporis spatium tantummodo duraturam, promittentes illum recipere in eorum Episcopum et Pastorem, quem iidem compromissarii de gremio Ecclesiae praedictae dumtaxat ducerent concorditer eligendum. Sane dicti compromissarii huiusmodi potestate recepta, secedentes in partem, post diligentem quem inter se super hoc habuere tractatum, in eumdem Manfredum, in diaconatus ordine constitutum, direxerunt unanimiter vota sua; et deinde dictus Thesaurarius, ex potestate sibi et aliis praedictis compromissariis collegis, quibus ut praemittitur tradita de ipsorum ibidem

praesentium mandato vice sua, et eorumdem Collegarum ac praedictorum Capituli infra huiusmodi spatium, praefatum Manfredum in Episcopum Mileten. elegit, et electionem huiusmodi a dicto Capitulo concorditer acceptatam solemniter publicavit. Idemque Manfredus, post consensum ipsi electioni, ad instantiam eiusdem Capituli, ab ipso Manfredo legitime praestitum, ad Sedem praedictam personaliter accessit; et deinde tam dictus Manfredus electus per seipsum, quam dictum Capitulum per procuratores eorum idoneos ad hoc specialiter destinatos a Nobis confirmare electionem praedictam illius Nobis praesentati postularunt humiliter et istanter, super his omnibus statutis a iure temporibus observatis. Nos itaque, dictam electionem et ipsius Manfredi personam per venerabilem fratrem Nostrum Berengarium Episcopum Tusculanum et dilectos filios Nostros Arnaldum tit. S. Marcelli Presbyterum ac Bernardum S. Agathae Diaconum Cardinales examinari fecimus diligenter. Et facta Nobis ab Episcopo et Cardinalibus praedictis super his relatione fideli, quia invenimus electionem eamdem de ipso Manfredo in persona idonea, ac litterarum scientia, honestate morum et vitae aliisque virtutum insignita, donis sibi desuper attributis, fide digna testimonia suffragantur canonice celebratam, illam de praefatorum Episcopi et Cardinalium ac aliorum fratrum Nostrorum consilio, auctoritate Apostolica confirmavimus, ipsumque Manfredum ipsi Mileten. Ecclesiae praeficimus in Episcopum et Pastorem, curam et administrationem eiusdem Ecclesiae sibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committentes, firma spe fiduciaque conceptis quod praefata Ecclesia sub suo felici regimine, dextera Domini sibi assistente propitia, salubriter ac prospere dirigatur, et grata suscipiat monumenta. Quocirca universitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus eumdem Electum devote recipientes et honorificentia debita prosequentes, eidem fidelitatem solitam et consueta servitia exhibere, ac de iuribus et reditibus sibi et vobis debitis integre respondere curetis; alioquin sententiam sive poenam, quas ipse spiritualiter et temporaliter rite tulerit vel statuerit in rebelles, ratas habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. — Datum in Prioratu de

Grausello prope Malausanam, Vasionensis dioecesis, nonis Iulii, Pontificatus Nostri anno septimo. – IN ARCHIVO ECCLESIAE MILETENSIS – (153).

CLIV.

(ANNO 1311)

Roberto Regi commendat eumdem Episcopum Miletensem.

Clemens Episcopus, *Servus servorum Dei*, *carissimo in Christo filio Roberto Regi Siciliae illustri, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — In amore virtutum et illarum operibus circa Ecclesiam earumque ministros, praesertim Pontificali dignitate praeditos, favoranter exercendis, decet celsitudinem Regiam haberi continuo studiosam, maxime cum ex hoc ei procul dubio et benedictionis divinae praemium et laudis humanae praeconium requiratur. Nuper siquidem Ecclesiae Mileten. de Episcopo providimus. Quocirca Regalem magnificentiam rogamus et hortamur attente, quatenus eumdem Electum et commissam sibi Ecclesiam habens pro divina et dictae Sedis Apostolicae ac Nostra reverentia propensius commendatos, te dicto Electo benignum et favorabilem exhibeas, et in cunctis opportunitatibus gratiosum; ita quod ipse Regio favore suffultus, commissum sibi eiusdem Ecclesiae Mileten. regimen possit salubriter exercere, ac tibi exinde a Deo perennis vitae praemium et a Nobis condigna proveniat actio gratiarum. — Datum nonis Iulii, Pontificatus Nostri anno septimo – EX ARCHIVO VATICANO – (154).

CLV.

IOANNES PP. XXII.

(ANNO 1325)

De electione Episcopi Cathacensis.

Ioannes Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Venuto, Episcopo Cathacen., salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Dudum pro parte Procuratoris Generalis Fratrum Ord. Mi-

norum coram fel. record. Clemente Papa Quinto, Praedecessore Nostro, proposito quod olim Ecclesia Cathacen. per obitum bon. mem. Iacobi Episcopi Cathacen. vacante, ac a dilectis filiis Capitulo eiusdem Ecclesiae duabus in eadem Ecclesia, una de te, reliqua de dilecto filio Gualterio tunc Archidiacono nunc Decano eiusdem Ecclesiae electionibus in discordia celebratis, tu dictum Gualterium electioni de se factae renunciare coegeras per potentiam saecularem, teque iterato eligi a praefatis Capitulo eiusdem Ecclesiae Cathacen. temere procurares; ac per litteras Provincialis dicti Ordinis, quae falso fabricatae fuerant, ut dicebatur, te licentiam consentiendi electioni huiusmodi habere praetendens, electionem tuam huiusmodi per Metropolitanum loci feceras confirmari, et subsequenter tibi munus consecrationis impendi. Idem Praedecessor dilecto filio Nostro Arnaldo S. Mariae in Porticu Diacono Cardinali commisit, ut de praemissis omnibus et quibusdam aliis se plenius informaret, et huiusmodi informationem sibi referret, per cuius informationem se absente non vocato, apud Sedem Apostolicam receptam et relationem ipsius sibi factam, idem Praedecessor motus, te super praemissis, etiam super eo quod dicebaris excommunicatus et sic ligatus divina Officia celebrasse ac celebrare temere te immiscuisse et immiscere, te citari fecit, ut certo termino coram eo personaliter compareres, recepturus quod iustitia suaderet. In quo termino cum propter impotentiam tui corporis te a personali comparitione huiusmodi per procuratorem idoneum legitime excusasses, idem Praedecessor venerabilibus fratribus Nostris Archiepiscopo Consentino atque S. Marci et Mileten. Episcopis suis dedit litteris in mandatis, ut ipsi, vel duo aut unus eorum, vocatis qui existerent vocandi, super contentis in citatione praedicta inquirerent diligentius veritatem, et quae invenirent in scriptis redigi facientes, ea sub eorum inclusa sigillis sibi fideliter destinarent, praefixo tibi certo termino competenti, quo legitime te Apostolico conspectui praesentares, recepturus super praemissis quod iustitia suaderet. Demum vero eodem Archiepiscopo Consentino, qui super dicto negotio, de quo, ut dicebat, inquisierat, praefato Praedecessori per suas litteras referente, idem Praedecessor praefato Cardinali commisit huiusmodi negotium agendum et

etiam referendum, coram quo per procuratorem dictorum Fratrum quibusdam productis, et per procuratorem tuum nonnullis exceptionibus exhibitis contra ea, et aliquali habito in causa ipsa processu; tandem praefato Praedecessore viam universae carnis ingresso, Nobisque ad apicem Summi Apostolatus assumptis, sicut per te fuit expositum, coram Nobis praefati Capitulum te Episcopatu ac bonis omnibus ad Episcopalem Mensam Cathacen. spectantibus spoliarunt, dictumque Gualterium in Cathacen. Episcopum de facto eligere praesumpserunt, teque propterea ad Sedem Apostolicam recurrente, Nos venerabili fratri Nostro Episcopo Marturanen. Nostris dedimus litteris in mandatis, ut si ei per evidentiam facti vel alias summarie et de plano, sine strepitu et figura iudicii, constaret praefatos Cathacen. Capitulum dictum Gualterium in Cathacen. Episcopum elegisse, teque dicto Episcopatu et bonis omnibus ad dictam Mensam spectantibus spoliasse, et plene restitueret et faceret ipsius Episcopatus possessione gaudere, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, quodque dictum Capitulum per Procuratorem dictum Gualterium et nonnullas alias personas eorumdem Capituli, ut personaliter Apostolico conspectui certo termino se praesentarent super praemissis de iustitia responsuri auctoritate Apostolica citare deberet. Dictus autem Episcopus Marturanen., iuxta dictarum Nostrarum litterarum formam, cognito de praemissis te sententialiter restituit ad Episcopatum praedictum, citando praefatum Capitulum et personas iuxta earumdem litterarum Nostrarum continentiam. Cumque tu realiter propter potentiae saecularis obiectum, ad dictum Episcopatum plene restitui non valeres, ad Sedem dictam iterum rediens a Nobis humiliter postulasti, ut te ad Episcopatum praedictum, quo spoliatus extiteras, plene restitui faceremus. Verum pro parte Fratrum dicti Ordinis intrusio ac excommunicatio et apostasia et nonnulla alia contra te replicata et proposita, coram Nobis et Fratribus Nostris in Concistorio extiterunt; Nosque causam huiusmodi bon. mem. Berengario Episcopo Portuen. commisimus audiendam et Nobis postmodum referendam. Coram quo tam te quam Angelo Pullicio Canonico Cathacen. Gualterio et Capitulo personaliter citatis, ad hoc specialiter con-

stitutis necnon procuratoribus dicti Ordinis et Capituli praedictorum comparentibus, exhibitis quoque, productis et factis hinc inde in eadem causa coram dicto Episcopo Portuen. quae partes ipsae exhibere, producere et facere voluerunt, dum idem Episcopus Portuen. intenderet ad faciendum Nobis relationem huiusmodi, diem clausit extremum, Nosque sibi venerabilem fratrem Nostrum Episcopum Praenestinum in eadem causa subrogavimus auditorem. Coram quo te et procuratoribus comparentibus supradictis, et per eum processibus super praemissis habitis recensitis, Nobisque et dictis Fratribus Nostris super praemissis per eumdem Episcopum Praenestinum facta relatione fideli, volumus et mandamus, restituendum te fore ad plenam et pacificam possessionem praefati Episcopatus Cathacen. ac iurium eius, teque restituimus ad illa, decernentes tibi de fructibus medio tempore perceptis, ex eo et qui percipi potuerunt vel eorum aestimatione de bonis huiusmodi tibi subtractis, integram satisfactionem impendi, dantes tibi nihilominus licentiam ad dictam Cathacensem Ecclesiam redeundi. Nulli ergo etc. – Datum Avenione, kal. Martii, anno nono. – UGHELLI, tom. IX – (155).

CLVI.

(ANNO 1325)

In favorem electi Episcopi Cathacensis.

Ioannes Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Rhegino, et Bisinianen. ac Squillacen. Episcopis, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Dudum pro parte Procuratoris generalis etc. *(ut retro)*. Quocirca fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum, per vos vel alium seu alios, dictum Venutum Episcopum Cathacen. vel procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem dicti Episcopatus ac iurium et pertinentiarum ipsius ad mensam dicti Episcopi spectantium reducatis auctoritate Nostra et defendatis inductum, amoto ab eis quolibet detentore, dictoque Venuto Episcopo de fructibus medio tempore perceptis ex eo et qui percipi potuerunt ex eorum extimatione ac de bonis sibi

subtractis, iuxta earumdem litterarum Nostrarum tenorem, faciatis satisfactionem plenam et debitam exhiberi. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis. – Datum Avenione, kal. Martii, Pontificatus Nostri anno nono. – Ex Archivo Vaticano – (156).

CLVII.

(Anno 1327)

Contra haereticos Fraticellos nuncupatos, in Provincia Calabriae.

Ioannes Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Nicolao de Rhegio, de Ordine Fratrum Minorum, Provinciae Calabriae Ministro, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Perducto nuper ad Nostri Apostolatus auditum, quod nonnulli profani viri, qui Fraticelli de Paupere vita vulgariter nuncupantur, quorum sectam, ritum et statum ex illorum detestatione damnatos dudum publico et notorio Nostrae Constitutionis edicto cassavimus, de Siciliae insula in Provincia Calabriae iam obrepunt, non sine horrendo et timendo contagio Christifidelium dictae Provinciae inibi habitantes. Nos cupientes morbo huiusmodi, auctore Domino, salubriter obviare, ac gerentes de tuae circumspectionis industria fiduciam in Domino specialem, discretioni tuae mandamus nec auctoritate Nostra capiendi et arrestandi nec non detinendi captivos, per te vel alium seu alios, Fraticellos eosdem, quos in dicta Provincia reperiri contigerit, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo, invocato ad id, si opus constiterit, auxilio brachii saecularis. Non obstante, si eis aut ipsorum aliquibus communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per Litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, plenam et liberam hac vice concedimus tenore praesentium facultatem. – Datum Avenione, nonis Martii, Pontificatus Nostri anno undecimo. – Ex Archivo Vaticano – (157).

CLVIII.

(ANNO 1328)

Pro electione Gaufridi Faczari in Episcopum Miletensem.

Ioannes Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Capuano et Episcopo Cassanen. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Militanti Ecclesiae, licet immeriti, disponente Domino praesidentes, circa curam omnium Ecclesiarum solertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta pastoralis officii debitum crediti Nobis dominici gregis custodiam utiliter gerere, divina cooperante gratia, studeamus. Et licet Ecclesiarum omnium sollicitudo Nobis immineat generalis, circa illas tamen tenemur attentius per debitae provisionis ministerium vigilare, quae ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentes deplorare viduitatis incommoda dignoscuntur. Dudum siquidem, sicut accepimus, Ecclesia Mileten. ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinente, per obitum bon. mem. Manfredi Episcopi Mileten. pastoris solatio destituta, dilecti filii Capitulum eiusdem Ecclesiae, die ad eligendum praefixa, vocatis et praesentibus omnibus qui voluerunt, debuerunt et potuerunt commode interesse, insimul convenerunt. Et tandem in huiusmodi electionis negotio procedentes, in dilectum filium Gaufridum Decanum Ecclesiae Consentinae, in Sacerdotio constitutum, direxerunt unanimiter vota sua, ipsum in Episcopum Ecclesiae Mileten. concorditer eligentes. Quare pro parte carissimi in Christo filii Nostri Roberti, Regis Siciliae illustris, fuit Nobis humiliter supplicatum, ut cum eiusdem Gaufridi electi praesentia sit ad praesens dicto Regi in illis partibus plurimum opportuna, nec idem Electus posset ad praesens propter maris et terrae pericula absque magno discrimine ad Sedem Apostolicam personaliter se conferre pro huiusmodi suae electionis negotio prosequendo, providere in hac parte tam ipsi Gaufrido electo quam Ecclesiae Mileten. de Apostolicae Sedis consueta clementia dignaremur. Volentes igitur propter praemissa et attenta Regis eiusdem voluntate, tam ipsius Gaufridi electi periculis, quam eiusdem vacan-

tis Ecclesiae damnis quae possent ei ex vacatione diutina imminere salubriter obviare, fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, si inquisita de modo electionis, eligentium studiis et electi meritis diligentius veritate, praedictam electionem canonicam et de persona idonea canonice celebratam inveneritis, eam auctoritate Apostolica confirmetis; ac alter vestrum, adscitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus Episcopis gratiam et communionem eiusdem Sedis habentibus eidem Electo munus consecrationis impendant, recepturus postmodum ab eodem Electo Nostro et Ecclesiae Romanae sub forma quam vobis sub bulla Nostra mittimus introclusam fidelitatis solitae debitum iuramentum, contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo. Formam autem iuramenti, quod ipse praestabit de verbo ad verbum, Nobis per eius patentes litteras suo sigillo signatas alter vestrum, qui sibi ut praemittitur huiusmodi munere consecrationis impenso praedictum iuramentum recipiet ab eodem, per proprium nuntium quantocius destinare procuret. Alioquin electione praedicta rite cassata, vel cassa et irrita nunciata, Nobis quaecumque super his inveneritis per vestras litteras harum seriem continentes curetis quantotius fideliter destinare, ut eidem Ecclesiae possimus auctore Domino de Pastore utili et idoneo providere. Nos insuper irritum decernimus et inane, si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. – Datum Avenione, quarto kal. Februarii, Pontificatus Nostri anno duodecimo. – Ex Archivo Vaticano – (158).

CLIX.

BENEDICTUS PP. XII.

(Anno 1340)

De crudelissima occisione Episcopi Bisinianensis.

Benedictus Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiscopo Baren. et Episcopo Rapollan. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Horrendum scelus et piaculare

flagitium in partibus Calabriae diebus praeteritis a viris sanguinum perpetratum non sine mentis amaritudine recensentes, ad illud iuxta reatus magnitudinem percellendum, cum poena gravior vix sufficiat ad vindictam, eo ferventiori attentione consurgimus, quo tanti facinoris nefanda patratio in Dei maiorem contumeliam et offensam, in Ecclesiae universalis iniuriam, ac in detestabilis exempli perniciem, et cunctorum fidelium illud audientium scandalum noscitur redundasse. Habet siquidem publicae famae, immo verius crudelis infamiae horrenda relatio, non solum in cunctorum fidelium Regni Siciliae, sed aliarum Provinciarum, etiam remotarum, iam deductae publicam notionem, quod quodam die Dominico infra Octavam praeteritae festivitatis Nativitatis B. Ioannis Baptistae, dum bon. mem. Fridericus Episcopus Bisinianen. in Episcopalibus domibus coniunctis Ecclesiae Bisinianen. sub securitate publica et tutela Sedis Apostolicae, qua Ecclesiarum Praesules soliti sunt gaudere fiducialiter moraretur, quidam diabolico spiritu incitati, aemuli et hostes eiusdem Episcopi, cives Bisinianenses, et nonnulli alii viri nequam locorum quamplurium vicinorum Bisinianen. dioecesis, ac civitatum et dioecesium, aliorum quorumdam potentum illarum partium ducti vel verius seducti praecepto et favore suffulti, collecta multitudine copiosa hominum armatorum dictam Ecclesiam Bisinianen., Nobis et eidem Sedi immediate subiectam, ac domos Episcopales praedictas furibundis animis hostiliter invaserunt; fractisque ac combustis ianuis domorum et Ecclesiae praedictorum, violenter intraverunt easdem; et evaginatis gladiis, quosdam de familiaribus eiusdem Episcopi in eius praesentia trucidarunt, dictumque Episcopum et decem familiares ipsius, presbyteros, clericos et laicos quibus fugere praesidium non patebat, sacrilegis manibus iniectis in eos, ceperunt eosque captivos duxerunt per Ecclesiam et civitatem praedictas usque ad confinia civitatis eiusdem, ibique dictum Episcopum et omnes praefatos familiares ipsius presbyteros, clericos et laicos quos captivos duxerunt, ut praefertur, crudelissime occiderunt. Nam dicto Episcopo caput et manus sacro chrismate delibutas horribiliter amputantes, secum in ostentationem sic horrendi flagitii publice asportarunt: eiusdem Episcopi et aliorum occisorum corporibus inhumatis, in escam bestiarum et vola-

habuisse, vel socios in his faciendis fuisse, aut in his dedisse consilium aut favorem, seu scienter defensasse huiusmodi facinorum patratores, nominatim diebus Dominicis et festivis, pulsatis campanis et candelis accensis, excommunicatos similiter per vos et alios nuntietis, et tamdiu nuntiari faciatis ut ab omnibus arctius evitentur, donec super praemissis satisfecerint. Et si cum litteris vestris rei veritatem continentibus ad Sedem venient Apostolicam, absolvi ab huiusmodi excommunicationis sententia per alium nequeant quam per Romanum Pontificem, praeterquam in articulo mortis. Sed in alio casu si quis forsan fuerit absolutus, nisi postquam pristinae restitutus fuerit sanitati quam cito commode poterit conspectui Romani Pontificis se curaverit praesentare, eius mandatum humiliter recepturus prout iustitia suadebit, in eamdem excommunicationis sententiam recidat ipso facto. Eosdem insuper sacrilegos a feudis, locationibus, officiis et beneficiis spiritualibus seu temporalibus, quae ab eadem Bisinianen. Ecclesia obtinebant, propter huiusmodi facinus cecidisse, ipsaque ad eamdem Ecclesiam libere reversa fuisse, eorum quoque filios per masculinam lineam descendentes usque ad generationem secundam, omni spe dispensationis dempta, ipso facto redditos fore inhabiles ad ecclesiastica beneficia in Bisinianen. civitate et dioecesi obtinenda, similiter nuntietis et nuntiari per alios faciatis. Rursus terram ipsius vel illorum, qui huiusmodi parricidium fecerunt seu fieri mandaverunt, aut factum ab illis eorum nomine ratum habuerunt, vel facientium socii extiterunt aut dederunt in his consilium, vel favorem, vel scienter defensarunt eosdem, iuxta Constitutionem eamdem, usque ad satisfactionem condignam, denuntietis per vos vel alios subiacere ecclesiastico interdicto. Coeterum vobis committimus et districte mandamus, ut omnes et singulos sacrilegos supradictos, quos per inquisitionem huiusmodi repereritis praemissa facinora commisisse, vel illa fieri mandasse, vel committentibus dedisse auxilium, consilium vel favorem, peremptorie ex parte Nostra citare curetis, ut infra duorum mensium spatium post citationem huiusmodi se personaliter Apostolico conspectui repraesentent, facturi super his et recepturi quod eorum deposcunt demerita, Nostrisque et Sedis eiusdem super his mandatis et beneplacitis parituri. Diem vero huiusmodi

damus, quatenus dictis Comiti et Comitissae, dote per eos sufficienti pro Monasterio et Religiosis mulieribus usque ad decentem numerum inibi perpetuo Domino servientibus, primitus assignata, fundandi, construendi et aedificandi in altera terrarum ipsarum ad opus suum et nomen Religiosarum ipsarum praedictum Monasterium cum Ecclesia seu Oratorio, campanili, campana, domibus et aliis necessariis officinis et coemeterio praedictis in loco ad hoc idoneo, absque praeiudicio parochialis Ecclesiae dicti loci et iuris cuiuslibet alieni, Apostolica auctoritate licentiam plenam et liberam largiaris. – Datum Avenione, octavo kal. Decembr. Pontificatus Nostri anno primo. – EX ARCHIVO VATICANO – (160).

CLXI.

(Anno 1342)

Electio Barlahae de Seminaria in Episcopum Hieracensem.

Clemens Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Barlahae de Seminaria electo Hieracensi, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Militanti Ecclesiae, disponente Domino, licet immeriti, praesidentes, circa curam Ecclesiarum omnium, et illarum potissime quae Pastorum destitutae solatio viduitatis incommoda deplorare noscuntur, et statum utilem procurandum, solertia reddimur indefessa solliciti, ut iuxta pastoralis officio debitum crediti Nobis dominici gregis custodiam utiliter gerere, divina cooperante clementia, studeamus. Dudum siquidem Ecclesia Hieracensis per obitum bonae mem. Iohannucii Episcopi Hieracensis, pastoris solatio destituta, Nos bonae mem. Nicolaum tunc Bovensem Episcopum a vinculo quo Bovensi Ecclesiae, cui tunc praeerat, tenebatur, de Fratrum Nostrorum consilio et Apostolicae potestatis plenitudine absolventes, ipsum ad eamdem Hieracensem Ecclesiam sic vacantem duximus auctoritate Apostolica transferendum. Postmodum vero, cum idem Nicolaus recedendo de Romana Curia et ad ipsam Hieracensem Ecclesiam accedendo viam fuisset universae carnis ingressus, Nos ipsius obitu fide dignis relatibus intellecto, cupien-

tes eidem Ecclesiae per Nostrae cooperationis ministerium utilem praeesse personam, provisionem ipsius Hieracensis Ecclesiae sic vacantis, videlicet sexto idus Septembris proxime praeteriti, dispositioni Nostrae et dictae Sedis duximus specialiter reservandam, decernentes irritum et inane si secus super his per quoscumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Deinde vero ad provisionem ipsius Ecclesiae, de qua nullus praeter Nos hac vice disponere potuit neque potest, reservatione et decreto Nostris obsistentibus supradictis, ne prolixae vacationis pateretur incommoda paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam ad praeficiendam ipsi Hieracensi Ecclesiae personam utilem ac etiam fructuosam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad te Monachum Monasterii S. Eliae de Capassino, Ordinis S. Basilii, Miletensis dioecesis, in Sacerdotio constitutum, cui de Religionis zelo, litterarum scientia, vitae ac morum honestate, prudentia ac spiritualium et temporalium providentia, aliisque grandium virtutum meritis testimonia fide digna suffragantur, direximus oculos Nostrae mentis. Quibus omnibus attente discussis, de persona tua praefatae Hieracensi Ecclesiae, de dictorum Fratrum consilio, auctoritate praedicta providemus; teque illi praeficimus in Episcopum et Pastorem, curam et administrationem ipsius Ecclesiae tibi tam in spiritualibus quam in temporalibus plenarie committendo, in Illo qui dat gratias et largitur praemia confidentes quod praefata Ecclesia Hieracensis per tuae industriae ac circumspectionis fructuosum studium, gratia tibi suffragante divina, regatur utiliter et prospere dirigatur, augmentaque suscipiet auctore Domino commodi et honoris. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris suscipias reverenter; ac curam et administrationem praedictos sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod eadem Ecclesia gubernatori provido et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium Nostram et Apostolicae Sedis benedictionem et gratiam uberius proinde consequi merearis. – Datum Avenione, sexto nonas Octobris, anno primo. – Ex Archivo Vaticano – (161).

CLXII.

(ANNO 1343)

Gaufrido Faczaro Episcopo Milrten. Apostolicum mandatum pro Regno Neapolitano.

Clemens Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Miletensi, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Pridem ad Apostolatus Nostri notitiam deducto, quod clarae mem. Robertus Rex Siciliae, sicut Domino qui aufert spiritum principum placuit, mortem subierat temporalem, relicta carissima in Christo filia Nostra Ioanna Regina Siciliae illustri nepote sua ex unico Filio primogenito eidem Regi in Regno Siciliae et terris citra Pharum usque ad confinia terrarum Ecclesiae, excepta civitate Beneventana cum eius territorio ad Romanam Ecclesiam pertinente, quae quidem Ioanna in tali aetate erat, fuit, et adhuc esse dignoscitur constituta, quod ad gubernationem et administrationem Regni et terrarum praedictarum propter defectum aetatis huiusmodi, cuius quidem aetatis consuevit esse fragile et infirmum consilium et multis captionibus expositum, minus idonea existebat, et quod propterea ad Nos, qui eiusdem Ioannae superiores immediati existimus, et totius Regni et terrarum praedictarum directum et altum dominium obtinemus, cura, administratio, gubernatio et bailia Regni et terrarum praedictarum gerenda per Nos vel alium seu alios idoneos per Nostram providentiam deputandos plene et in solidum de iure et diversorum Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum observantia pacifica istis temporibus pertinebat; Nos Praedecessorum ipsorum vestigiis inhaerentes, qui paterna benevolentia consilium capientes pro bono statu Regni praedicti, non modicis turbinibus periculosisque fluctibus expositi et in multis iniquorum et pravis aemulorum insidiosis perturbationibus pro censura recti iudicii et rectitudine iustitiae ibidem sub rectore debito proferendis, tam pro iure Nostro et Romanae Ecclesiae conservando, quam pro utilitate Regni et indemnitate incolarum dictorum Regni et terrarum, qui Nostri et Ecclesiae Romanae sunt homines principa-

liter et vassalli, ut nostro fulti praesidio praeserventur a noxiis, et ab oppressionibus releventur; deliberatione praehabita diligenti, decrevimus et ordinavimus, gubernationem et administrationem dictorum Regni et terrarum gubernari et regi debere, et exercendam esse Nostro nomine istis temporibus, et gerendam administrationem, gubernationem et bailia. Hinc dilecto filio Nostro Aymerico tit. S. Martini in Montibus Presbytero Cardinali, Apostolicae Sedis Legato, viro utique decorato scientia, zelatori pacis, amatori iustitiae, arduis negotiis claro, certi tenoris auctoritatem insolidum commisimus . . . .
Verum cum Legatus praedictus de mandato Nostro pro administratione, gubernatione, et bailiis praedictis Nostro nomine gerendis et in solidum exercendis, ad partes illas accedet, fraternitatem tuam requirimus et hortamur attente, et tibi nihilominus districtius iniungimus, quatenus eumdem Legatum, quantum poteris devote recipiens, et debitis honorificentia, reverentia et favore pertractans, sibi tamquam baiulo et Vicario Generali praedictorum Regni et terrarum per praefatam Romanam Ecclesiam deputato in omnibus et singulis, quae ad bailiae et Vicariatus huiusmodi officium et onus in hac parte iniunctum eidem pertinere noscatur, reverentiam Apostolicae Sedis et Nostram devote ac humiliter plene et efficaciter procures et intendas, assistens nihilominus eidem consiliis et auxiliis opportunis, affectibus et effectibus, ut de tua obedientiae promptitudine apud Deum et Nos ac Sedem eamdem valeas rationabiliter commendari, ut ultra retributionis aeternae praemium, et benedictionem et gratiam uberius merearis. – Datum Avenione, octavo id. Aprilis, Pontificatus Nostri anno secundo. – Ex Archivo Vaticano (162).

CLXIII.

INNOCENTIUS PP. VI.

(ANNO 1359)

Pro Monasterio SS. Trinitatis Mileten.

Innocentius Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Neapolitano, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Exhibita Nobis pro parte dilectorum filiorum Abbatis et Conventus Monasterii SS. Trinitatis Mileten., ad Romanam Ecclesiam nullo medio pertinentis, Ord. S. Benedicti, ac nobilis viri Henrici de Sancto Severino militis, nati dilecti filii nobilis viri Rogerii de Sancto Severino Comitis Mileti, petitio continebat, quod nuper inter Abbatem et Conventum ex una parte et Milites supradictos ex altera habitus est tractatus, quod dicti Abbas et Conventus quemdam eorum locum Plagia Bibonae nuncupatum in dioecesi Mileten. consistentem, et ad eos et dictum Monasterium pertinentem, ex quo dictum Monasterium modicum utilitatis percipere consuevit propter diversas occupationes in illa per nonnullos factas cum iuribus et pertinentiis suis, permutent cum dicto Milite pro quibusdam aliis bonis ipsius Militis, ex quibus dicti Monasterii conditio melior fiet. Sed quia dicti Abbas et Conventus hoc facere nequeunt sine Apostolicae Sedis licentia speciali, fuit Nobis pro dictarum partium parte humiliter supplicatum, ut ipsis Abbati et Conventui faciendi permutationem huiusmodi licentiam concedere dignaremur. Nos itaque, qui Ecclesiarum et Monasteriorum omnium utilitatem ferventer appetimus, de praemissis certam notitiam non habentes, fraternitati tuae, de cuius circumspectione gerimus in Domino fiduciam specialem, per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de praemissis omnibus et singulis eorum circumstantiis universis, et praesertim si huiusmodi permutatio cedere possit in utilitatem Monasterii supradicti diligentius te informes; et quidquid inde per informationem ipsam repereris,

concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de praemissis certam notitiam non habentes, fraternitati tuae, de qua in his et aliis gerimus in Domino fiduciam specialem, per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus de praemissis omnibus et singulis et eorum circumstantiis universis, et praesertim de valore utrorumque possessionum et bonorum praedictorum et annuorum fructuum eorumdem te diligenter informes. Et si per informationem huiusmodi tibi constiterit, quod praedictas possessiones et bona dicti Henrici sint praedicto Monasterio magis utilia et accommoda quam aliae possessiones et bona ipsius Monasterii supradicta, super quo tuam conscientiam oneramus, eisdem Abbati et Conventui faciendi permutationem huiusmodi auctoritate Apostolica licentiam largiaris. – Datum Avenione, pridie idus Novembris, Pontificatus Nostri anno secundo. – Ex Archivo Vaticano - (164).

CLXV.

(Anno 1371)

Privilegium Capituli Ecclesiae Mileten.

Gregorius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis Capitulo Ecclesiae Mileten. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Sincerae devotionis affectus, quem ad Nos et Romanam Ecclesiam geritis, promeretur ut petitionibus vestris, illis praesertim quae commodum et honorem Ecclesiae vestrae respicere dignoscuntur, favorabiliter annuamus. Hinc est quod Nos vestris supplicationibus inclinati, ut quaecumque bona mobilia et immobilia, quae pia largitione fidelium vobis donari seu relinqui aut legari contigerit, tam pro anniversariis faciendis quam etiam pro luminaribus seu ornamentis dictae Ecclesiae vestrae aut aliis quae divini cultus in Ecclesia ipsa augmentum respiciunt, etiam absque licentia venerabilis fratris Nostri Episcopi Mileten. qui est et erit pro tempore, libere recipere et licite retinere possitis, devotioni vestrae auctoritate Apostolica tenore praesentium indulgemus. Per hoc autem non intendimus, quod in his, de quibus praefato

rum Apostolorum Petri et Pauli, et ipsius dedicationis Ecclesiae festivitatibus ac in celebritate Omnium Sanctorum et per Octavas ipsarum Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis et Corporis Domini nec non ipsius B. Mariae Virginis Nativitatis et Assumptionis ac Nativitatis B. Ioannis et BB. Apostolorum Petri et Pauli praedictorum festivitatum, et per sex dies dictam festivitatem Pentecostes immediate sequentes, praefatam Ecclesiam devote visitaverint annuatim, et ad fabricam dictae Ecclesiae manus porrexerint adiutrices, singulis videlicet festivitatum et celebritatis, unum annum et quadraginta dies, Octavarum vero et sex dierum praedictorum diebus quibus praedictam Ecclesiam visitaverint et ad fabricam praedictas manus adiutrices porrexerint, ut praefertur, centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer relaxamus. Praesentibus post viginti annos minime valituris. Volumus autem, quod si alias visitantibus Ecclesiam praedictam seu ad fabricam ipsius manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias eleemosynas erogantibus, aliqua Indulgentia in perpetuum vel ad certum tempus nondum elapsum duratura auctoritate Apostolica fuerit concessa, eamdem Indulgentiam volumus auctoritate praesentium nullius existere roboris vel momenti. – Datum Avenione, septimo kal. Februarii, Pontificatus Nostri anno tertio. – Ex Archivo Vaticano – (166).

CLXVII.

(Anno 1372)

Thomas (Buccamungellus) electus Episcopus Miletensis.

Gregorius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Thomae electo Mileten., salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Inter coetera, quae superna dispositione Nobis imminent peragenda, ad id nimirum solliciti reddimur, ut viduatis Ecclesiis, praesertim Romanae Ecclesiae immediate subiectis, tales praeficiamus in Pastores, per quorum industriam et sollicitudinem circumspectam indemnitati eorum providetur salubriter, et Ecclesiae ipsae felicibus in spiritualibus et temporalibus proficere valeant incre-

administratori gaudeat se commissam, tuque praeter aeternae retributionis praemium Nostram ac dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde ulterius consequi merearis. – Datum Avenione, quarto kal. Decembris, Pontificatus Nostri anno tertio. – Ex Archivo Vaticano – (167).

CLXVIII.

(Anno 1373)

In favorem eiusdem Episcopi Miletensis.

Gregorius Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Thomae Episcopo Mileten. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Personam tuam Nobis et Apostolicae Sedis devotam paterna benevolentia prosequentes, illa tibi gratiose ac favorabiliter concedimus, per quae incumbentia tibi onera expensarum valeas commodius et facilius supportare. Cum itaque nuper tu pro bonis et spoliis, quae dudum fuerant bonae mem. Petri Episcopi Mileten. immediati praedecessoris tui, et quae antea ex certis causis fuerant per Nos dispositioni Apostolicae reservata cum agentibus Camerae Nostrae Apostolicae huiusmodi compositionem feceris, videlicet quod bona ac spolia ipsa tibi remaneant, tuque pro bonis et spoliis ipsis eidem Camerae infra certos terminos sexcentos florenos auri persolvere tenearis, et ad haec te duxeris efficaciter obligandum; Nos itaque volentes te speciali prosequi gratia et favore, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, de huiusmodi summa sexcentorum florenorum ducentos florenos auri tibi tenore praesentium auctoritate Apostolica remittimus et donamus, ac deducimus et extenuamus, et pro remissis, donatis, deductis atque extenuatis haberi et in libris dictae Camerae describi et notari volumus et mandamus, ita quod tu vel successores tui Episcopi Mileten., qui erunt pro tempore, pro dictis ducentis florenis inquietari seu molestari de caetero non possitis, fraternitatem tuam attentius exhortantes, quatenus reliquos quadringentos florenos in statutis tibi terminis sic persolvere studeas diligenter, quod exinde possis de receptae gratiae gra-

titudine merito commendari. Nulli ergo etc. – Datum apud Villam Novam, Avenionen. dioecesis, sexto kal. Aprilis, Pontificatus Nostri anno quarto. – Ex Archivo Vaticano – (168).

CLXIX.

(Anno 1373)

Privilegium Ecclesiae Miletensis.

Gregorius Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Thomae Episcopo Mileten. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Personam tuam sincera prosequentes in Domino caritate, votis tuis libenter annuimus, in his praesertim quae tuarum personae et Ecclesiae Mileten. quietem respiciunt; ut ex hoc quietius valeas Altissimo reddere famulatum. Ut igitur affectus, quem mente gerimus, innotescat, te et Ecclesiam tuam Mileten. ac bona tua et ipsius Ecclesiae sub protectione Apostolicae Sedis et Nostra praesentium auctoritate recipimus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo etc. – Datum apud Villam Novam, Avenionen. dioecesis, quinto kal. Aprilis, Pontificatus Nostri anno quarto. – Ex Archivo Vaticano – (169).

CLXX.

(Anno 1375)

Pro Monasterio SS. Trinitatis Miletensis.

Gregorius Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Orlando Episcopo Tropien. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Ad statum salubrem Ecclesiarum et Monasteriorum omnium dirigendum, iuxta pastoralis officii debitum, libenter intendimus; ac ad eorum reformationem, quae deformata forte noscuntur, libenter apponimus sollicitudinis Nostrae partes. Cum itaque, sicut accepimus, Monasterium SS. Trinitatis Miletensis, Ordinis S. Benedicti, quod redditibus satis abundat, et in quo

viginti Monachi et ultra esse consueverunt, propter negligentiam dilecti filii Ioannis Abbatis ipsius Monasterii adeo collapsum extitit, quod ipsius dormitorium, refectorium, domus et aliae officinae pro magna parte destructa existunt, quodque ad praesens cum dicto Abbate tres dumtaxat presbyteri et duo alii monachi vivere noscuntur, propter quod in ipso Monasterio cultus divinus est plurimum diminutus; Nos cupientes quod dictum Monasterium in debito Monachorum et ministrorum numero, iuxta ipsius Monasterii suppetentiam facultatum, congrue reformetur, quodque huiusmodi dormitorium, refectorium, domus et aliae officinae eiusdem reparentur ut decet, fraternitati tuae, de qua in his et aliis gerimus in Domino fiduciam specialem, per Apostolica scripta committimus et mandamus, quatenus ad Monasterium ipsum te personaliter conferens, et habens prae oculis solum Deum, praefatum Monasterium tam in capite quam in membris auctoritate Nostra visites, et ea quae ibidem correctione seu reformatione noveris indigere, eadem auctoritate corrigere et reformare procures, et nihilominus de praemissis te diligenter informes. Et si per diligentem informationem huiusmodi repereris, quod dormitorium, refectorium, domus et officinae praedictae reparatione indigeant, assignata de fructibus, redditibus et proventibus eiusdem Monasterii pro Abbate et Conventu ac aliis personis in ipso Monasterio necessariis congrua portione, de qua possint commode sustentari et incumbentia eis onera supportare, alicui probo viro quem ad hoc duxeris eligendum auctoritate praedicta committimus, ut reliquos fructus, reditus et proventus ipsius Monasterii tamdiu ad manus suas recipiat, ipsosque in reparatione dormitorii, refectorii ac domorum et officinarum praedictarum convertat, donec huiusmodi dormitorium, refectorium, domus et officinae fuerint congrue reparatae. Contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Non obstantibus quibuscumque privilegiis Apostolicis, ac statutis et consuetudinibus Monasterii et Ordinis praedictorum contrariis, seu si Abbati et Conventui praedictis vel quibuscumque aliis communiter vel divisim a Sede Apostolica sit indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expres-

certum numerum ad iudicium non vocandis, quam aliis constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscumque etc. – Datum Anagniae, tertio kal. Septembris, Pontificatus Nostri anno septimo. – Ex Archivo Vaticano – (171).

CLXXII.

BONIFACIUS PP. IX.

(Anno 1392)

Fidelitas et devotio laudatur Cleri et populi S. Lucidi, in Consentina dioecesi.

Bonifacius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis Clero et populo terrae S. Lucidi, Consentinae dioecesis, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Auditis plene ex relatione ven. fratris Nostri Tirelli, Archiepiscopi Consentini, honoris et status Nostri zelatoris ferventissimi; intellectis sincero vestrae devotionis affectu et fidei puritate inconcussa, quo ad Nos et Romanam geritis, prout laudabiliter gessistis continuo, Ecclesiam, valde gavisi sumus in iis, fidelitatem et devotionem vestram huiusmodi plurimum commendantes, hortantes ut de bono in melius velitis continuare. Scientes quod, quia ipsius Archiepiscopi adsistentia, propter eius virtutes, prudentiam et fidelitatem eximiam, est Nobis et Ecclesiae utilis et opportuna, ipsum Archiepiscopum Nobiscum retinuimus, quem etiam in agendis per vos Nobiscum reperietis valentem intercessorem. Et Nos tam intuitu fidelitatis et devotionis vestrae huiusmodi, quam ipsius Archiepiscopi, ad quaelibet vobis grata sumus promptiores. Hortantes etiam vos, ut ipsum et eius Ecclesiam ac gentes pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia habeatis semper propensius remissos. Etenim, ipso intercedente, scribimus dilecto filio Comiti Catanzarii et Comiti Montis Alti, ut castrum Rende restituat; alias providebimus ut fuerit opportunum. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarnationis Dom. millesimo tercentesimo nonagesimo secundo, tertio id. Ianuar., Pontificatus Nostri anno tertio. – Martene, tom. II – (172).

fundavit et construxit, seu construi et fundari fecit, ac utrumque sufficienter dotavit, dictumque Hospitale lectis et aliis rebus necessariis communivit; ac voluit et ordinavit, quod in dicta Capella esset certus numerus Fratrum Ordinis vestri, qui quidem Fratres per Ministrum Provincialem Provinciae Calabriae, secundum morem dicti Ordinis pro tempore existentem deputandi, victum et vestitum a Priore dicti Hospitalis qui pro tempore erit reciperent et haberent. Quare pro parte vestra et eiusdem Comitissae Nobis fuit humiliter supplicatum, ut vobis Capellam recipiendi et perpetuo retinendi, ac ibidem Domum cum coemeterio, campanili, campana et aliis officinis necessariis pro quampluribus fratribus Altissimo perpetuo famulantibus, construendi et aedificandi seu construi et aedificari faciendi licentiam concedere, de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum et dicti Ordinis propagationem intensis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, vobis Capellam ipsam recipiendi et perpetuo retinendi, ac alia omnia supradicta, ut praemittitur, faciendi, non obstante Constitutione fel. record. Bonifacii PP. Octavi Praedecessoris Nostri prohibente ne Fratres Ordinis Mendicantium in aliqua civitate, villa, castro aut alio loco de novo recipere praesumant absque Apostolicae Sedis licentia speciali, iure tamen Parochialis Ecclesiae et cuiuslibet alterius semper salvo, auctoritate Apostolica de speciali gratia tenore praesentium licentiam elargimur, vobis nihilominus de uberioris dono gratiae concedentes, quod Fratres dicti Ordinis, qui in huiusmodi Domo pro tempore morabuntur, omnibus privilegiis, gratiis, immunitatibus et Indulgentiis aliis Fratribus dicti Ordinis in aliis domibus dicti Ordinis commorantibus, a praedicta Sede vel alias qualitercumque concessis, libere et licite gaudeant et utantur. Nulli ergo etc. – Datum Romae apud S. Petrum, kal. Ianuarii, Pontificatus Nostri anno decimo tertio. – WADDING, *Annal. Minor.*, tom. IX – (174).

praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Priorem et alios omnes in hoc culpabiles Fratres praedictos ab huiusmodi excommunicationis sententia absolvi mandare, et concessioni, donationi et erectioni praemissis Apostolicae confirmationis robur adiicere, ac Fratrum dicti Ordinis in dicta Domo pro tempore commorantium tranquillitati opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui dictae Religionis propagationem et divini cultus augmentum intensis desideriis affectamus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eosdem Priorem et Fratres, qui hoc humiliter petierunt, ab huiusmodi excommunicationis sententia, hac vice dumtaxat, auctoritate Nostra absolvas in forma Ecclesiae consueta, iniunctis inde eis, pro modo culpae, poenitentia salutari et aliis quae de iure fuerint iniungenda, ac cum eisdem super irregularitate, si quam praemissorum occasione non tamen in contemptum clavium contraxerunt, eadem auctoritate dispenses. Et insuper concessionem, donationem et erectionem ac alia praemissa auctoritate Nostra approbes et confirmes, nec non Fratribus in dicta Domo pro tempore commorantibus, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, exemptionibus, libertatibus et immunitatibus, quibus alii Fratres eiusdem Ordinis in aliis dicti Ordinis Domibus commorantes utuntur et gaudent, uti et gaudere, et Priorem sibi pro tempore eligere, et huiusmodi electionem ab ipsorum maiori parte Provinciali dictae Provinciae pro tempore existenti praesentare, et illius confirmationem ab eodem Provinciali, alias iuxta laudabilia instituta et consuetudines ipsius Ordinis, obtinere libere et licite valeant. Quodque Prior et Fratres Domus huiusmodi per dictum Provincialem seu ipsius Ordinis Generalem pro tempore existentem dumtaxat visitari et corrigi debeant, eadem auctoritate concedas, iure Parochialis Ecclesiae et alterius cuiuslibet in omnibus semper salvo. Non obstante etc. – Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dom. millesimo quadringentesimo trigesimo tertio, die septima Septembris, Pontificatus Nostri anno tertio. – BULLAR. CARMELIT. tom. I – (175)

nialium cuius sex reditus, et S. Mariae de Capistrano, quod alias dignitate Abbatiali ex Ordine S. Basilii extincta, reductum fuit ad Ecclesiam saecularem in praebendam, Canonicis dictae Ecclesiae assignandas duximus, nec non Monasteria, quae Abbatibus et Monachis, ut etiam accepimus, carent, et pro maiori parte per Clericos saeculares absque dispensatione canonica detinentur, et in quibus propter exilitatem fructuum ipsorum Monasteriorum, aedificiorum et structurarum regularis observantia dicti Ordinis (secundum informationem venerabilis fratris Nostri Antonii Episcopi Mileten.) teneri non potest; quorum singulorum fructus, redditus et proventus huiusmodi pro singularum in dignitate constitutarum personarum commoda sustentatione non sufficerent. Quin etiam civitas Mileti et eius dioecesis, propter carentiam magistrorum, personas eruditas in grammaticalibus et cantu non habent, etiam S. Eliae de Capassino de casali Galatri, dioecesis praedictae Ecclesiam, cuius fructus redditus et proventus octoginta florenorum auri, secundum extimationem praedictam, valorem annuum, ut similiter accepimus, non excedunt, et quod dictus Episcopus autoritate Apostolica certo modo sibi concessum obtinet in commendam, cum omnibus iuribus et pertinentiis eorumdem mensae Capitulari dictae Ecclesiae perpetuo unirentur, ipsi Episcopus et Capitulum alterum in cantu et alterum in grammaticalibus ad docendum et instruendum singulos de dicta Ecclesia et alios de civitate et dioecesi praedictis qui in eisdem scientiis grammaticae et musicae proficere et addiscere vellent per ipsos Episcopum et Capitulum eligendos Magistros, ac duodecim pueros Clericos saeculares ad serviendum in dicta Ecclesia in Missis et aliis divinis Officiis cum competenti provisione tenere possent, motu proprio non ad alicuius super hoc Nobis oblatae petitionis instantiam, sed de mera Nostra liberalitate, praebendarum et bonorum huiusmodi detentorum nomina et cognomina ac detentionum tempora nec non regularia loca a quibus Monasteria et Ecclesia reducta huiusmodi forte dependent pro expressis habentes, Monasteria praescripta et huiusmodi reductam Ecclesiam cum omnibus eorum iuribus, iurisdictionibus et pertinentiis universis praefatae mensae Capitulari perpetuo incorporamus, adnectimus et unimus; ita quod Monasteriorum et redu-

pueri in dicta Mileten. Ecclesia in Missis et aliis divinis Officiis servire diebus singulis teneantur, statutis et consuetudinibus Ecclesiae Mileten. ac Monasteriorum, etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quacumque alia firmitate roboratis, caeterisque contrariis non obstantibus quibuscumque. Seu si aliqui de eorum personis huiusmodi vel Monasteriis aliis aut beneficiis ecclesiasticis provisionibus faciendis in illis partibus speciales vel generales Apostolicae Sedis vel Legatorum eius litteras impetraverint, etiam si per eas ad inhibitionem, reservationem et decretum vel alias quomodolibet sit processum, quas quidem litteras et processus habitos per eosdem ad praefata Monasteria et reductam Ecclesiam volumus non extendi, sed nullum per hoc eis quoad assecutionem Monasteriorum aut beneficiorum aliorum praeiudicium generari, et quibuslibet privilegiis, indulgentiis et litteris Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus eorum impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus habenda sit in Nostris litteris, decernimus et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo etc. – Datum Ferrariae anno Incarn. Dom. millesimo quadringentesimo trigesimo octavo, quartodecimo kal. Octobris, anno octavo. – Ex Archivo Vaticano – (176).

CLXXVII.

NICOLAUS PP. V.

(Anno 1447)

De iisdem Ecclesiis et Monasteriis Basilianis, in dioecesi Mileten.

Nicolaus Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Squillacen. salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Apostolicae Sedis providentia circumspecta, circa gesta per eam, ne exinde alicui praeiudicium generetur, providet, prout rerum, personarum et temporum qualitas exigit et salubriter expedire cogno-

modi Provinciis, ubi pro tempore deputatus foret, Monasteria et loca tam in capite quam in membris cum uno socio, cuius consilio in omnibus uti deberet, visitare et reformare, ac personas ibidem corrigere, et alia quae ad huiusmodi Visitatoris et Correctoris officium de iure vel de consuetudine pertinent facere et exercere posset et deberet; et insuper ut in qualibet Provinciarum earumdem unum Studium litterarum Graecarum expensis praesidentium Monasteriis eius Provinciae in qua illud erigeretur, sustentandum pro Magistris et studentibus institueretur; et deinde dictus Praedecessor omnia et singula praemissa et quaevis alia inter Archimandritas et Abbates ac personas huiusmodi in dicto Capitulo ordinata et concordata auctoritate Apostolica approbaverat, eaque voluerat et mandaverat ab omnibus et singulis quorum pro tempore interesset firmiter et inviolabiliter observari, ac nonnulla alia fieri voluerat atque decreverat: successive vero per Nos accepto, quod licet unio, adnexio et incorporatio huiusmodi effectum sortitae forent, tamen ipsorum sic unitorum Monasteriorum fructus, redditus et proventus non ut praemittitur, sed in alios usus et utilitatem exponebantur et convertebantur, ac alias cum dicta Ecclesia Mileten. inter alias dicti Regni Cathedrales Ecclesias notabilis et insignis ac in suis redditibus et facultatibus decenter abundans, quodque Monasteria et loca dicti Ordinis suis redditibus diminuta, ipseque Ordo plurimum collapsus et Religio deformata existerent ac eius Monachi in magnam litterarum Graecarum ignorantiam devenerint, magis aequum videbatur ut absque iniuria et detrimento dicti Ordinis et personarum eiusdem indigentiis ipsorum Episcopi et Capituli de Episcopalis et Capitularis mensarum redditibus satisfieret, et Monasteria huius modi sic unita ad proprium Ordinem reducerentur; Nos tunc ex aliis causis Nobis notis motu simili incorporationem, unionem, adnexionem ac litteras desuper confectas et omnia in eis contenta et inde secuta qualitercumque processissent auctoritate Apostolica ex certa scientia revocavimus, cassavimus et irritavimus, nulliusque firmitatis existere decrevimus. Ac omnia et singula Monasteria et reductam Ecclesiam huiusmodi in statum pristinum, in quo videlicet erant antequam incorporatio, unio et annexio praefatae fierent vel emanarent, plenarie restituimus, illaque dicto

silii existerent, et propterea ne super his alterationes et iurgia valeant exoriri opportune providere volentes, de praemissis quoque certam notitiam non habentes motu simili fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus de praedictis omnibus relatis auctoritate Nostra te diligenter informes. Et si per informationem huiusmodi repereris ita esse, revocationem, cassationem, irritationem, decretum, restitutionem, voluntatem, statutum et ordinationem, nec non unionem, adnexionem et incorporationem ultimo per Nos factam huiusmodi quoad ipsa de Arenis, S. Constantini, de Moladi, de Monteleone, de Serrata, S. Opuli et de Capistrano Monasteria nullius firmitatis existere, quinimo unionem adnexionem et incorporationem per Praedecessorem factas huiusmodi quoad illa in suis robore et vigore permansisse et permanere, ac ipsos Episcopum et Capitulum ipsorum Monasteriorum, si aliorum quam S. Basilii Ordinum fuerint, possessionem retinere posse eadem auctoritate decernas et declares. Non obstantibus litteris Nostris et aliis praemissis, nec non Monasteriorum et Ordinum S. Basilii praedictorum iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, idibus Martii, anno primo. – Ex ARCHIVO VATICANO – (177).

CLXXVIII.

(ANNO 1447)

De eisdem Ecclesiis et Monasteriis in dioecesi Miletensi.

Nicolaus Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Feltren. et Hel... ac Squillacen. Episcopis, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Ad ea ex Apostolicae servitutis officio libenter intendimus, per quae dissensionum scandalorumque tollatur occasio, nec non personarum praesertim Pontificali dignitate praeditarum statui et indemnitatibus opportune valeat provideri. Dudum siquidem fel. record. Eugenius PP. Quartus, Praedecessor

litteras, processus et contenta huiusmodi revocaret, cassaret et irritaret, ac nullius roboris vel momenti fore decerneret. Et nihilominus si revocationem, cassationem et irritationem et decretum huiusmodi per eum fieri contingeret, de meritis et idoneitate praefati Iacobi se diligenter informaret; et si per informationem huiusmodi eumdem Iacobum, quem etiam per alias Nostras litteras in Monachum et in fratrem ipsius Monasterii S. Eliae et ab eo professionem dicti Ordinis si illam sponte emittere vellet, recipi et habitum sibi exhiberi mandavimus, ad hoc idoneum esse reperiret, de persona ipsius Iacobi postquam Monachus ipsius Monasterii receptus et habitus sibi exhibitus foret, ipseque professionem huiusmodi emisisset ut praefertur, eidem Monasterio, quovis modo vel ex cuiuscumque persona vacaret ac ex quavis causa illius provisio ad Sedem Apostolicam specialiter vel generaliter pertineret, dummodo tunc non esset ei de Abbate canonice provisum, auctoritate Apostolica provideret, ipsumque illi praeficeret in Abbatem, curam regimen et administrationem ipsius Monasterii sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in singulis Praedecessoris eiusdem ac Nostris litteris praedictis plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, licet venerabilis frater Noster Episcopus Oppiden. ad executionem dictarum Nostrarum litterarum procedens citationem contra Antonium Episcopum ac Iacobum praefatos decreverit, tamen Antonius Episcopus et Capitulum praefati adhuc in possessione bonorum dicti Monasterii vel maioris partis illorum, vigore unionis, incorporationis et adnexionis praefatarum huiusmodi existentes, ipseque Antonius Episcopus dictos Magistros in grammatica et cantu ad docendum ut praefertur deputavit, eis de certa parte subveniendo ac residuum dictorum fructuum, reddituum et proventuum in supportatione onerum ipsius Monasterii convertendo: Nos igitur causam, si qua super dicto Monasterio coram dicto Episcopo Oppiden. pendeat indecisa, cuius statum praesentibus haberi volumus pro expresso, ad Nos harum serie advocantes, et litem penitus extinguentes, ac de praemissis certam notitiam habentes, motu proprio fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum de praemissis omnibus et singulis auctoritate Nostra Nos diligenter informetis.

Et si per informationem huiusmodi ita esse repereritis, super quo cuiuslibet vestrum conscientiam oneramus, provisionem et praesentationem si quae de persona dicti Iacobi facta fuerint ac Nostras litteras mandati huiusmodi omniaque et singula in eis contenta et inde secuta auctoritate Nostra cassetis, revocetis et annulletis, nulliusque firmitatis existere, nec non praefatos Episcopum et Capitulum monasterium S. Eliae praedictum, quamdiu dictus Episcopus vitam duxerit in humanis retinere ac de huiusmodi illius fructibus, redditibus et proventibus disponere et ordinare posse, quemadmodum antequam Nostrae litterae mandati huiusmodi emanarent quomodolibet poterant eadem auctoritate decernatis, ipsique Iacobo super his perpetuum silentium imponatis, ac ex nunc decernatis Monasterium praedictum post obitum dicti Episcopi Ordini proprio restitui debere. Non obstantibus praemissis ac Monasterii et Ordinis praedictorum iuramento confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis statutis et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque; quod si non omnes his exequendis potueritis interesse, unus vestrum ea nihilominus exequatur. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, idibus Martii, anno primo. – Ex Archivo Vaticano – (178).

CLXXIX.

(Anno 1447)

Erectio Conventus Praedicatorum apud Consentiam
ab Antonio de Sancto Severino Comite.

Nicolaus Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Abbati Monasterii B. Mariae de Matina, S. Marci dioecesis, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Sincerae devotionis affectus, quem dilectus filius nobilis vir Antonius de Sancto Severino, Comes Tricaricensis, ad Nos et Romanam gerit Ecclesiam, promeretur ut petitiones suas, illas praesertim quae divini cultus incrementum et Religionis propagationem respiciunt, quantum cum Deo possumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Sane pro parte dicti Comitis Nobis nuper exhibita petitio continebat,

quod ipse pia devotione succensus, cupiens terrena in coelestia ac transitoria in aeterna felici commercio commutare, de bonis sibi a Deo collatis unam Domum pro usu et habitatione nonnullorum Fratrum de observantia Ord. Praedicatorum extra muros civitatis Consentinae, in loco ad hoc congruo et honesto, cum Ecclesia, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, refectorio, dormitorio et aliis necessariis officinis fundare et construere, seu fundari et construi facere desiderat, si ei Sedis Apostolicae super hoc licentia concedatur. Quare pro parte dicti Comitis, qui etiam Dux S. Marci existit, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut sibi dictam Domum in loco ad id congruo et honesto, ut praefertur, fundandi et construendi, seu fundari et construi faciendi, ac illa postquam constructa fuerit eisdem Fratribus recipiendi licentiam concedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque, qui divinum cultum Nostris potissime temporibus vigere et augeri intensis desideramus affectibus, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, eidem Comiti domum praefatam cum Ecclesia, campanili, campana, domibus, refectorio, dormitorio et officinis pro usu et habitatione praefatis in loco huiusmodi fundandi et construendi seu fundari et construi faciendi, ac eisdem Fratribus domum ipsam pro huiusmodi eorum usu et habitatione recipiendi et perpetuo retinendi, licentiam auctoritate Apostolica largiaris. Non obstantibus fel. record. Bonifacii Papae Octavi, Praedecessoris Nostri, decretis etc. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quadringentesimo quadragesimo septimo, quinto decimo kal. Decemb. Pontificatus Nostri anno primo. – BULLAR. PRAED. tom. III – (179).

CLXXX.

(ANNO 1450)

In favorem Episcopi Miletensis.

Nicolaus Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Tropien. et Squillacen. ac Cathacen. Episcopis, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Exhibita Nobis pro parte venera-

fore et absolvit, nec non Thomasio, Georgio, incolis, habitatoribus et Universitatibus praedictis supra illis perpetuum silentium imponendum fore et imposuit; eosdemque Thomasium, Georgium, Universitates, incolas et habitatores in expensis pro parte dicti Episcopi in huiusmodi causa coram eo factis condemnandos fore et condemnavit, illarum taxatione sibi in posterum reservata. A qua pro parte Thomasii, Georgii, Universitatum, incolarum et habitatorum praedictorum fuit ad Sedem Apostolicam appellatum; Nosque causam appellationis huiusmodi dilecto filio magistro Bernardo Rovira, etiam Capellano Nostro et Causarum dicti Palatii Auditori, commisimus audiendam et fine debito terminandam; qui, cognitis meritis, et facta super his omnibus coauditoribus suis Causarum eiusdem Palatii relatione fideli, de dictorum coauditorum consilio et assensu per suam sententiam pronunciavit, decrevit et declaravit, per praefatum Petrum auditorem in ipsa causa bene fuisse et esse processum, sententiatum et definitum, ipsiusque Petri auditoris definitivam sententiam praedictam confirmandam fore et confirmavit. Et pro parte Thomasii, Georgii, Universitatum, incolarum et habitatorum praedictorum a definitiva sententia praedicta male fuisse et esse appellatum ac pronunciatum; eosdemque Thomasium, Georgium, Universitates, incolas et habitatores in expensis huiusmodi causae pro parte dicti Episcopi coram eo legitime factis condemnandos fore et condemnavit, illarum taxatione sibi in posterum reservata. A qua quidem praefati Bernardi Auditoris sententia pro parte Thomasii, Georgii, Universitatum, habitatorum et incolarum eorumdem fuit ad Sedem praedictam appellatum; Nosque causam ultimae appellationis huiusmodi dilecto filio magistro Ioanni Didaco etiam Capellano Nostro et Causarum dicti Palatii Auditori commisimus audiendam et fine debito terminandam. Qui cognitis illius meritis et facta super his omnibus coauditoribus suis Causarum ipsius Palatii relatione fideli de dictorum coauditorum consilio et assensu per suam sententiam pronunciavit, decrevit, et declaravit per praefatum Bernardum auditorem, in ipsa causa bene fuisse et esse processum sententiatum et definitum; ipsiusque Bernardi definitivam sententiam huiusmodi confirmandam fore et confirmavit, et a dicti Bernardi auditoris sententia huiusmodi pro

parte Thomasii, Georgii, Universitatum, incolarum et habitatorum praedictorum male fuisse et esse pronunciatum et appellatum, praefatosque Thomasium, Georgium, Universitates, incolas et habitatores in expensis coram eo in huiusmodi causa legitime factis condemnandos fore et condemnavit, illarum taxatione sibi in posterum reservata, prout in instrumento publico superinde confecto eiusdem Auditoris sigillo munito plenius dicitur contineri. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, praefatus Episcopus dubitet, ne, lite huiusmodi indecisa pendente, Thomasius, Georgius, Universitates, incolae et habitatores praedicti sententiis huiusmodi et praesentium vigore habendis processibus reverenter parere non velint, pro parte ipsius Episcopi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus providere sibi super haec de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios praemissa executioni debite demandanda, dictasque sententias ubi et quando expedire videritis solemniter publicantes, non sinatis dictum Episcopum super iuribus praedictis a Thomasio, Georgio, Universitatibus, incolis et habitatoribus praefatis quomodolibet molestari, sed ei iuxta praefati instrumenti tenorem plenam et debitam satisfactionem impendi, et nihilominus legitimis super his per vos habendis servatis processibus eos quatenus expedierit aggravare curetis, contradictores per censuram ecclesiasticam compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis. Non obstante si dicto Thomasio, Georgio, Universitatibus, incolis et habitatoribus praedictis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit Sede indultum quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indultu huiusmodi mentionem. – Datum Romae, apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quadringentesimo quinquagesimo, decimo kal. Aprilis, Pontif. Nostri anno quarto. – Ex Archivo Vaticano – (180).

CLXXXI.

(ANNO 1450)

Erectio Conventus Praedicatorum et Hospitalis in civitate Squillacii.

Nicolaus Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Abbati Monasterii S. Leonardi, Cathacen. dioecesis, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris et Fratrum domus S. Ioannis Squillacii, Ord. Fratrum Praedicatorum, petitio continebat, quod olim postquam dilecti filii Commune et cives Squillacenses ob singularem devotionem, quam ad dictum Ordinem gerebant, prout de praesenti gerunt, Ecclesiam S. Ioannis Squillacensis Fratribus eiusdem Ordinis pro eorum usu et habitatione perpetuis, de consensu et voluntate bonae mem. Francisci Episcopi Squillacensis ac dilecti filii nobilis viri Ioannis Antonii Ducis Suessani, domini temporalis dictae Civitatis, donarunt in domum Fratrum Praedicatorum erectam et per Priorem ac quosdam dicti Ordinis Fratres receptam, ac viginti annis et ultra tentam, quae possessa et gubernata extitit, prout etiam de praesenti tenetur et gubernatur, licet de facto. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, a nonnullis asseratur domum ipsam olim Hospitale pauperum fuisse, illamque de licentia Sedis Apostolicae sive ordinaria auctoritate in Domum dicti Ordinis erectam fuisse, pro parte Prioris et Conventus praedictorum asserentium fructus, redditus et proventus dictae Ecclesiae decem florenorum auri de Camera secundum communem extimationem valorem annuum non excedere, et quod ipsi quoddam Hospitale pauperum prope domum praefatam pro pauperibus recipiendis construi facere incoeperunt, illudque perficere proponunt; Nobis fuit humiliter supplicatum, ut pro ipsorum securitate, ad hoc quod in eadem Domo cum animarum suarum quiete et sana conscientia Altissimo famulari valeant, ipsos et ipsorum quemlibet ab excommunicationis sententia, si quam praemissorum occasione incurrerint, absolvere, ac super irregularitate, si quam forsan Missas et alia divina Officia, non tamen in contemptum clavium, celebrando vel illis

se immiscendo contraxerint, dispensare, omnemque inhabilitatis et infamiae maculam abolere ab eis, quodque Prior et Fratres praedicti Domum ipsam cum Ecclesia ac omnibus bonis fructibus et redditibus ac proventibus, iuribus et pertinentiis suis retinere, et in ea conventualiter permanere, eisque quoad alias super his opportune consulere et providere de benignitate Apostolica dignaremur; Nos igitur, volentes Priorem et Fratres praedictos praemissorum intuitu favore prosequi gratioso, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus Priorem et Fratres praedictos, si hoc humiliter petierint, ab huiusmodi excommunicationis sententia, si quam praemissorum occasione quomodolibet incurrerint, auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas in forma Ecclesiae consueta, iniunctis inde sibi pro modo culpae poenitentia salutari et aliis quae de iure fuerint iniungenda, etc. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quadringentesimo quinquagesimo, duodecimo kal. Iunii, Pontificatus Nostri anno quarto. – BULLAR. PRAED. tom. III. (181).

CLXXXII.

(ANNO 1451)

Monasteria quaedam Basilianorum sub unico Abbate, in dioecesi Miletensi.

Nicolaus Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Perusino, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Ex paternae caritatis officio, quo universis orbis Ecclesiis et Monasteriis obligamur etc. Dudum siquidem postquam fel. record. Eugenius PP. Quartus, Praedecessor Noster, ex certis tunc expressis causis inter alia Monasteria S. Ioannis de Lauro et S. Hippolythi ac S. Andreae, necnon S. Lucae Ordinis S. Basilii, Mileten. dioecesis, mensae Episcopali Mileten. motu proprio perpetuo incorporaverat, annexerat et univerat; Nos qui dicto Praedecessore sicut Domino placuit sublato de medio, divina favente clementia ad apicem Summi Apostolatus assumpti fuimus, motu simili incorporationem, annexionem, unionem, et lit-

teras super eis confectas ac alia in illis contenta qualitercumque processissent, et omnia inde secuta auctoritate Apostolica et ex certa scientia per alias Nostras litteras revocavimus, cassavimus et irritavimus, nulliusque firmitatis existere decrevimus, ac omnia et singula Monasteria praedicta in statum pristinum in quo videlicet erant, antequam incorporatio et annexio praefatae fierent vel emanarent, plenarie restituimus, decernentes dicti Ordinis Visitatori et aliis quorum intererat de praedictis Monasteriis tamquam de eiusdem Ordinis membris prout de aliis ipsius Ordinis monasteriis et locis disponere posse et debere, prout in singulis Nostris et Praedecessoris litteris praedictis plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, praefata Monasteria per revocationem, cassationem, irritationem et decretum praedicta vacare noscantur, et sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Hieronymi de Norsica, monachi Monasterii S. Nicolai de Calamitio, eiusdem Ordinis, Rheginen. dioecesis, petitio continebat, fructus, redditus et proventus Monasteriorum eorumdem sint adeo tenues et exiles, quod ex ipsis videlicet singulorum Monasteriorum huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus singuli illorum Abbates commode vivere non possint, ac sicut eadem petitio subiungebat si S. Hippolythi, S. Lucae ac S. Andreae Monasteria praedicta eidem Monasterio S. Ioannis perpetuo unirentur, annecterentur et incorporarentur, Abbas in dicto Monasterio S. Ioannis cum aliquibus Monachis concederetur, ut commode vivere possit, ac in Ecclesiis cuiuslibet sic unitorum Monasteriorum, quorum aliqua vicina et per duo milliaria vel circa etiam ad invicem et aliqua alia ultra sex milliaria non distant, fore noscuntur, in divinis facerent deserviri, in non modicum divini cultus et Religionis augmentum in Monasteriis antedictis; Nos de praemissis ac meritis dicti Hieronymi, qui, ut asseritur, Ordinem ipsum expresse professus existit, et pro quo venerabiles fratres Nostri Isidorus Sabinen. et Bessarion Tusculanus Episcopi asserentes se sperare quod si dicta Monasteria in simul unirentur, annecterentur et incorporarentur, et de ipsius Hieronymi persona eisdem Monasteriis providebitur, in spiritualibus et temporalibus feliciter sic augentur et salubriter gubernabuntur, apud Nos tamen de religionis zelo, vitae munditia ac morum honestate, ac spiritualium

providentia et temporalium circumspectione aliisque probitatis et virtutum meritis multipliciter eum commendari opere certam notitiam non habentes, fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus super praemissis Nobis per Hieronymum expositis, de illius mentis et idoneitate te diligenter informes, et si per informationem huiusmodi ea fore vera repereris, super quo tuam conscientiam oneramus, S. Hippolyti cuius decem, et S. Lucae cuius duorum, ac S. Andreae Monasteria praedicta cuius octo onciae, omnibus iuribus et pertinentiis suis praefato Monasterio S. Ioannis cuius decem auri de Camera fructus, redditus et proventus secundum communem extimationem valorem annuum ut asseritur non excedunt, auctoritate Nostra perpetuo incorpores et adnectas, ac de persona dicti Hieronymi S. Ioannis et aliis sic unitis Monasteriis praefatis quibusvis modis aut quorumcumque personis illa vacent illarumque dispositio ex quavis causa ad Sedem Apostolicam specialiter vel generaliter pertineat, dummodo tempore datae praesentium illis vel alicui eorum de Abbate canonice provisum non sit, eadem auctoritate provideas; ipsumque illis praeficias in Abbatem, curam, regimen et administrationem S. Ioannis et aliorum sic unitorum Monasteriorum praedictorum in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo ac faciendo, et a conventibus dictorum Monasteriorum pro tempore existentibus obedientiam et reverentiam congruentes, nec non a dilectis filiis vassallis et aliis subditis Monasteriorum eorumdem debita et consueta iura et servitia exhiberi, contradictores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo. Volumus autem, quod per haec venerabili fratri Nostro Episcopo Mileten. cui dicta Monasteria ordinario iure forsan subesse noscuntur, nullum in posterum praeiudicium generetur. — Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quadringentesimo primo, tertio kal. Augusti, Pontificatus Nostri anno quinto – Ex Archivo Vaticano (182).

CLXXXIII.

PIUS PP. II.

(ANNO 1458)

Translatio Conventus Fratrum Praedicatorum civitatis Cotroniensis.

Pius Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Archiepiscopo Sanctae Severinae, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Provida Romani Pontificis etc. Cum itaque, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Cleri et populi civitatis Cotroniensis ac Provincialis Ordinis Fratrum Praedicatorum, in Regno Siciliae citra Pharum, petitio continebat, Domus quaedam dicti Ordinis extra muros Civitatis eiusdem iuxta fornicem sive lupanar sita sit, ac propter pyratarum et Maurorum incursus tam Fratres praedicti quam ipsius Domus, libri, calices et alia ornamenta incursibus huiusmodi atque periculis subiacere noscantur, pro honestate Fratrum in ipsa domo commorantium et huiusmodi periculis evitandis, Ecclesia S. Clarae intra muros praedictos, quae alias Monasterium Monialium Ordinis eiusdem Sanctae fuerat, et in qua nulla monialis iam remansit, et quae de iure patronatus laicorum existit, ad effectum ut suppressis in eo dignitate Abbatiali et Ordine praefato, in domum conventualem dicti Ordinis Fratrum Praedicatorum de ipsorum patronorum consensu erigeretur, et Conventus in eadem domo extra muros consistens ad eamdem Ecclesiam infra muros praedictos consistentem, et in domum Fratrum eorumdem sub vocabulo S. Vincentii Conf. erigendum transferretur, ac dicta Ecclesia, cuius fructus redditus et proventus decem florenorum auri de Camera, secundum communem aestimationem, valorem annuum, ut asseritur, non excedunt, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis eidem Ordini Fratrum Praedicatorum perpetuo concederetur, et ex hoc Fratrum in ipsa domo extra muros commorantium, ac etiam ornamentorum eorumdem securitas sequeretur, et ad Cleri ac populi praedictorum complacentiam cederet singularem. Quare pro parte Cleri, populi et Provincialis praedicto-

rum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis super his opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos itaque de praemissis certam notitiam non habentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita, et ad id patronorum eorumdem accedat assensus, Abbatialem dignitatem et Ordinem S. Clarae huiusmodi in eodem Monasterio, auctoritate Nostra, supprimere et extinguere, illudque cum omnibus iuribus et pertinentiis supradictis per Provincialem et Fratres praefatos iuxta ritus, mores et instituta dicti Ordinis Fratrum Praedicatorum perpetuo tenendum, regendum et gubernandum concedere et donare, nec non Fratres et Conventus ipsius Domus extra muros ad eamdem Ecclesiam transferre, sive eis ad illam transeundi licentiam largiri. eadem auctoritate procures, iure tamen parochialis Ecclesiae servato. – Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis etc. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quadringentesimo quinquagesimo octavo, sexto kal. Octobris, Pontificatus Nostri anno primo. – BULLAR. PRAED. tom. III – (183).

CXXXIV.

SIXTUS PP. IV.

(ANNO 1471)

Pro absolutione a censuris auctorum sacrilegi homicidii, in civitate Cathacii.

Sixtus Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Abbati Monasterii S. Leonardi extra muros Cathacii, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Sedis Apostolicae exuberans clementia recurrentium ad eam cum humilitate personarum statim post excessum propitiam se exhibet et benignam; et illarum votis, per quae animarum saluti et conscientiae ipsarum puritati consulitur, libenter annuere consuevit. Exhibita siquidem Nobis pro parte hominum civitatis Cathanzarii, provinciae Calabriae, petitio continebat, quod cum alias in Regno Nostro Siciliae citra Pharum inter carissimum in Christo filium Nostrum Ferdinandum, ipsius Sici-

liae Regem illustrem, et quondam Ioannem de Andagavia Ducem Lotharingiae guerram plurimum vigeret, et quasi tota Provincia Calabriae huiusmodi a fide ipsius Regis defecisset, ipsaque civitas Cathacen. sola in fidelitate praefati Regis remansisset, et dilectus filius nobilis vir Ioannes Centelles, dilecti filii nobilis viri Antonii etiam de Centelles, Cotronis tunc Marchionis frater germanus, dictam Civitatem ut eidem Antonio de Centelles se daret obsessam teneret, et dicti homines praefatae Civitatis ut in fidelitate dicti Regis manerent famem et plura alia incommoda, quae guerrae de necessitate secum trahunt, paterentur, quondam Carolus Fridalancia, Canonicus Cathacen. in Presbyteratus ordine constitutus, eamdem Civitatem prodere et illam praefato Ioanni de Centelles, qui plures cives praedictae Civitatis carcerare et nonnullas alias utriusque sexus personas neci tradere, ac nonnulla alia crudelitatis genera in eadem civitate exercere decreverat, tempore per ipsum Carolum designato, tradere et assignare ordinasset, et cum ordinata per ipsum Carolum ante tempus per eum ut praefertur designatum in lucem venissent, ac dictus Carolus et nonnulli alii sui complices per ipsos cives capti et incarcerati fuissent, et prodimentum praedictum sponte absque tortura aut violentia aliqua ordinasse et ipsius factionis extitisse caput ipse Carolus confessus fuisset, ad clamorem populi clamantis *Moriatur moriatur*, praefati homines dictum Carolum presbyterum absque degradatione, et complices praeditos, nulla praecedente sententia aut condemnatione, per nonnullos Officiales saeculares dictae Civitatis morti tradi, et eorum corpora in frusta dividi fecerint, excommunicationis et alias sententias censuras et poenas in alia committentes tam a iure quam per synodales constitutiones generaliter promulgatas incurrendo; cum, sicut eadem petitio subiungebat, ipsi homines, necessitate cogente proditae dictae Civitatis ut illius direptionem et ruinam evitarent et non valentes furori ipsius populi alias resistere, praedicta omnia fecerint, doleantque ab intimis de praemissis per eos commissis; pro parte dictorum hominum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eis et statui suo in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, Ipsius vices gerentes in terris cui proprium est misereri semper et par-

cere, et qui non vult mortem peccatorum sed ut convertantur et vivant, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si ita est, homines et Officiales praedictos, si hoc humiliter petierint, a sententiis censuris et poenis praefatis auctoritate Nostra hac vice dumtaxat absolvas, in forma Ecclesiae consueta, iniunctis inde eis per modo culpae poenitentia salutari et aliis quae de iure fuerint iniungenda, aboleasque ab eis omnem inhabilitatem et in facie maculam sive notam per ipsas praemissorum occasione contractam, non obstantibus praemissis ac Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque censuris quibuscumque. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quadringentesimo septuagesimo primo, pridie idus Maii, Pontificatus Nostri anno primo. – Ex Archivo Vaticano – (184).

CLXXXV.

(Anno 1473)

Pro Fr. Francisco de Paula (Sancto) et Eremitis eius, in dioecesi Consentina.

Sixtus Episcopus, *Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Dilectis filiis Fr. Francisco de Paula caeterisque Fratribus Eremitis Eremitorii seu Oratorii S. Francisci in Paula, Consentinensis dioecesis, praesentibus et futuris, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Sedes Apostolica, aequa in omnibus semper distributrix, ea, quae pro divini cultus augmentum ac piorum locorum et personarum, praesertim sub humili et Religioso habitu in eis degentium, commodo et utilitate pie facta sunt, ut illibata persistant libenter cum ab ea petitur Apostolici muniminis consuevit adiicere firmitatem, ac benigno favore ea quae sunt pro animarum salute concedere, illisque ut eo devotius quo quietius Altissimo famulari possint munimen impartiri. Dudum siquidem pro parte Fr. Francisci praedicti Nobis exposito, quod olim postquam venerabilis frater Noster Pyrrhus Archiepiscopus Consentinus sibi ut quoddam Oratorium sive Ecclesiam sub vocabulo S. Francisci in tenimento

de Paula, Consentinae dioecesis, aedificare posset, licentiam concesserat, tuque Oratorium huiusmodi propriis manibus et expensis cum dormitorio pro tuis et Sociorum tuorum usu et habitatione pro magna parte aedificaveras, et nonnullos Socios vitam eremiticam ducentes receperas, ipseque Archiepiscopus praedictum Oratorium sive Ecclesiam una cum omnibus iuribus et pertinentiis suis tibi tuaeque Congregationi in perpetuum donaverat, et nonnulla alia tuae et Sociorum tuorum devotioni et saluti convenientia salutifera et opportuna concesserat, fecerat et ordinaverat, quodque Oratorium sive Eremitorium praedictum adhuc pro sufficienti habitatione tui et Eremitarum praedictorum perfectum omnino non erat, illudque piis Christi fidelium eleemosynis cum dormitorio et aliis necessariis officinis tu ac Eremitae tui socii huiusmodi continue aedificabatis, ampliabatis et exornabatis; Nos tunc tuis et Eremitarum praedictorum in ea parte supplicationibus inclinati, venerabili fratri Nostro Episcopo S. Marci, eius proprio nomine non expresso, per alias Nostras Litteras dedimus in mandatis, ut si et postquam vocatis qui forent evocandi de praemissis sibi legitime constaret, concessionem et litteras dicti Archiepiscopi, ac omnia et singula in ipsis litteris contenta, prout ea concernebant, auctoritate Apostolica approbaret et confirmaret, suppleretque omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenissent in eisdem, et in eventum approbationis, confirmationis et suppletionis huiusmodi vobis praedictis Eremitis, ut omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, quibus B. Petrus de Pisis nuncupatus coeterique Eremitae potiebantur et gaudebant, uti et gaudere pariformiter et absque ulla differentia libere et licite possetis et valeretis, concessimus, prout in eisdem Nostris litteris desuper confectis plenius continetur. Cum autem, sicut exhibita Nobis nuper pro parte vestra petitio continebat, venerabilis frater Noster Goffredus Episcopus S. Marci praedictus ad executionem praedictarum Nostrarum litterarum, illorum forma servata, procedens (quia sibi, vocatis vocandis, de a vobis expositis legitime constiterat), licentiam, donationem, concessionem, ordinationem et litteras Archiepiscopi praedicti, omniaque et singula in eis contenta, prout ea concernunt, auctoritate Apostolica approbaverit et confirmaverit, suppleveritque omnes et singulos defectus qui intervenerint

in eisdem, prout in quodam publico instrumento desuper confecto dicitur plenius contineri; quodque Pyrrhus Archiepiscopus praedictus inter alia per eum vobis tunc concessa, praedictum Eremitorium sive Ecclesiam S. Francisci et alia quaecumque loca, Ecclesias et Oratoria per vos in posterum recipienda, cum omnibus iuribus et pertinentiis, Eremitis et personis inibi pro tempore degentibus ac rebus omnibus ad vos locaque vestra quomodolibet pertinentibus et spectantibus, ab omni iurisdictione, subiectione et superioritate matrum Ecclesiarum ac sua suaeque Ecclesiae Consentinensis caeterarumque personarum in perpetuum exemit et liberavit, ac sub protectione, submissione et iurisdictione Sedis Apostolicae specialiter et expresse remiserit et relaxaverit; et sicut eadem petitio subiungebat, a nonnullis asseritur Nostras praelibatas litteras ac confirmationem, approbationem et defectuum suppletionem caeteraque omnia alia et singula per praedictum Goffredum Episcopum S. Marci illarum vigore facta et inde sequuta quaecumque iuribus non subsistere, pro eo quod Archiepiscopus praedictus per suas praedictas litteras et Fratrem Franciscum in Superiorem huiusmodi tuae Congregationis Patrem et Priorem seu quovis alio nomine nuncupandum dederit et deputaverit, cui Congregationi praesses ac vitae exemplis prodesses, tuisque monitis mandatis et praeceptis salutaribus omnes Congregationis huiusmodi personae obedire et parere deberent, ipsisque tuis Eremitis fratribus facultatem concessit, te in suum Superiorem et Priorem, ac una tecum alios quoscumque Superiores et Priores et Officiales canonice eligendi, necnon statuta et ordinationes pro huiusmodi vitae observantia, a iure tamen divino et Sanctorum Patrum institutionibus non deviantia, faciendi, tibique et huiusmodi Officialibus omnimodam iurisdictionem ordinariam in spiritualibus et temporalibus Congregationis huiusmodi personarum, etiamsi Sacerdotali seu quavis alia praefulgerent dignitate, ac locorum iurisdictiones, animalium et rerum omnium ad te tuamque Congregationem quomodolibet spectantium et pertinentium, quoscumque quoque rebelles et inobedientes omniumque huiusmodi Congregationis personarum delinquentium peccata et delicta et cuiuscumque generis maleficia et crimina, prout iuris foret, puniendi, huius-

modi delinquentes incarcerandi, disciplinandi, condemnandi, liberandi, absolvendi, caeteraque faciendi, quae in praemissis et praemissa vobis viderentur fore necessaria et opportuna, et quae circa ipsamet Archiepiscopus facere posset Sacerdotibus huiusmodi Congregationis seu saecularibus vel regularibus per vos eligendis, Missas etiam ante diem et in quocumque loco ad hoc congruo et honesto cum altari portatili celebrandi, Eucharistiae et alia quaecumque ecclesiastica Sacramenta libere et licite tibi huiusmodique tuae Congregationis personae, quoties devotio ingrueret et necessitas postularet, absque quacumque Superioris licentia ministrandi, ad quae suscipienda extra loca huiusmodi compelli non possetis, confessiones audiendi et ab omnibus casibus, excommunicationibus, suspensionibus et interdictis, ac super quacumque irregularitate eidem Archiepiscopo tam a iure quam ab eo reservatis et praemissis, toties quoties opus foret et esset, absolvendi et dispensandi, votaque quaecumque permutandi et relaxandi, ac poenitentiam salutarem iniungendi, loca oratoria quaecumque et Ecclesias licite accipiendi et retinendi, quascumque etiam personas ecclesiasticas et saeculares ad vos venientes et vobiscum moram trahere et habitum quem geritis profiteri et recipere volentes, ad habitum et professionem observantiae castitatis, paupertatis et obedientiae acceptandi et recipiendi, nec non ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, quibus Fratres S. Francisci caeterique Mendicantes fruuntur et utuntur, frui et uti possetis et valeretis, ac possent et valerent, indulsit, ac vobiscum super his opportune dispensavit. Huiusmodi autem Oratorium sive Ecclesiam S. Francisci de Paula, ac alia quaecumque loca, oratoria et Ecclesias per vos in posterum acquirenda et acceptanda, cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, Eremitisque et personis ac rebus omnibus et singulis ad Vos vestraque loca quomolibet spectantibus et pertinentibus, personis huiusmodi inibi pro tempore degentibus, ab omni iurisdictione, subiectione, superioritate matrum Ecclesiarum ac sua, suaeque Ecclesiae Consentinensis caeterarumque personarum ex certa sua scientia et motu proprio in perpetuum exemit et totaliter liberavit, ac sub protectione, submissione, iurisdictione et superioritate Sedis Apostolicae praedictae tota-

habitos et inde secuta quaecumque valere ac roboris firmitatem tenere, perinde ac si omnia et singula vobis per praedictum Pyrrhum Archiepiscopum concessa, et ipsius Archiepiscopi litteris contenta in saepe nominatis Nostris litteris specialiter singulariterque narrata et expressa fuissent. Et insuper vos et vestrum quemlibet, ac Eremitorium sive Ecclesiam S. Francisci in Paula praedictam caeteraque omnia et singula Eremitoria, Ecclesias et loca per vos in quibuscumque civitatibus et dioecesibus ac ubilibet hactenus recepta et in posterum recipienda cum omnibus iuribus et pertinentiis suis, Eremitasque et personas in illis pro tempore degentes ad res et bona quaecumque mobilia et immobilia, ad Vos et Eremitas et personas ac vestrum quemlibet ac loca Eremitoria et Ecclesias huiusmodi quomodolibet communiter vel divisim spectantia et pertinentia, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione et superioritate praedicti ac pro tempore existentis Archiepiscopi Consentini et aliorum Archiepiscoporum, Episcoporum, Ordinariorum, Iudicum et superiorum quorumcumque, etiam illorum in quorum iurisdictione, civitatibus et dioecesibus eremitoria, loca, Ecclesiae, Vos et Eremitae, ac personae, res et bona huiusmodi consistunt et consistere poterunt quomodolibet in futurum, auctoritate et scientia praedictis, de speciali gratia tenore praesentium prorsus eximimus et totaliter etiam liberamus, ac sub B. Petri et S. Sedis memoratae ac Romanae Ecclesiae et Nostra protectione suscipimus, ac exempta et immunia esse volumus, Nobisque et Successoribus Nostris Romanis Pontificibus canonice intrantibus ac dictae Sedi immediate subiacere.

Itaque Archiepiscopi, Ordinarii et Iudices supradicti ratione delicti seu contractus aut rei de qua ageretur ubicumque committatur delictum vel ineatur contractus aut res ipsa consistat, nullam in vobis ac Eremitoriis, locis et Ecclesiis, Eremitis et personis huiusmodi, ac rebus et bonis praedictis iurisdictionem, potestatem et dominium possint quomodolibet exercere, sed dumtaxat coram dicta Sede vel eius Legatis vos et Eremitae, ac aliae personae in locis, Ecclesiis et Eremitoriis huiusmodi pro tempore degentes teneamini de iustitia respondere. Et insuper vobis omnibus Eremitis ac personis, locis, Ecclesiis ac Eremi-

toriis huiusmodi, ut omnibus et singulis privilegiis, indulgentiis, concessionibus, gratiis, indultis, caeterisque omnibus et singulis in praesentibus et aliis Nostris et ipsius Consentinensis Archiepiscopi litteris saepe dictis ac per eas habitis processibus praedictis contentis, vobis ac eremitoriis, Ecclesiis et locis huiusmodi concessis et concedendis in quacumque civitate et dioecesi, ac ubique et in quocumque loco auctoritate Apostolica praedicta uti et gaudere, eaque omnia et singula in huiusmodi Nostris ac aliis et praedicti Archiepiscopi praenominatis litteris et processibus desuper habitis contenta, cuiusvis Superioris super iis aut aliqua praemissorum licentia minime requisita, ac quibuscumque etiam contradictionibus, exceptionibus et impedimentis remotis, praedicta auctoritate Apostolica libere et licite exercere possitis et valeatis.

Quae etiam omnia et singula in praesentibus et aliis Nostris ac dicti Archiepiscopi litteris saepe dictis et processibus desuper habitis contenta, auctoritate et scientia praedicta de specialis dono gratiae concedimus et indulgemus per praesentes, fel. record. Innocentii Papae Quinti Praedecessoris Nostri contra exemptos, quae incipit *Volentes*, et qualibet alia Constitutione Apostolica contraria non obstante. Decernimus quoque ex nunc, omnes et singulas excommunicationum, suspensionum et interdicti aliasque ecclesiasticas sententias, censuras et poenas ac processus, quos et quas contra vos et Eremitas ac personas, Ecclesias, Eremitoria et loca huiusmodi et vestrum quemlibet promulgari contigerit vel haberi, irritas et irritos et inanes ac nullius existere firmitatis vel momenti.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc Nostram paginam Nostrae laudis, approbationis, confirmationis, commonitionis, suppletionis, decreti, exemptionis, liberationis, susceptionis, voluntatis, concessionis et indulti infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, sextodecimo kal. Iunii, Pontificatus Nostri anno tertio. – BULLAR. ROM. tom. XIII – (185).

CLXXXVI.

ALEXANDER PP. VI.

(ANNO 1492)

Pro eodem Francisco (Sancto) et Eremitis eius.

Alexander Episcopus, *Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* — Meritis religiosae vitae, quam dilecti filii Franciscus de Paula et eius socii Eremitae eremitorii S. Francisci in Paula, dioecesis Consentinensis, ad obsequendum Altissimo elegerunt, inducimur, et exemplo boni operis excitamur ut ea, quae pro eorum directione votiva ab eodem Francisco provide ordinata sunt, ut firmius illibata permaneant, Apostolicae Sedis, cui immediate sunt subiecti, munimine roboremus. Sane pro parte eorumdem Eremitarum Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod praedictus Franciscus habens ad hoc, ut asserebat, a bonae mem. Pyrrho Archiepiscopo Consentino specialem per illius litteras facultatem, per fel. record. Sixtum Quartum et Innocentium Octavum Romanos Pontifices, Praedecessores Nostros successive, confirmatam, et ad quaecumque loca, quae eidem Congregationi donari contingeret, ampliatam, prout in dicti Archiepiscopi authenticis et dictorum Praedecessorum Apostolicis litteris plenius continetur, illarum vigore pro salubri directione Eremitarum societatis eiusdem nominibus omnium statuta aliqua, ex quibus augmentum et animarum eorumdem salutem in beneplacitis divinae voluntatis et vitae eremiticae huiusmodi perseverantiam et eorum prosperitatis votivae successus concernentia sacris canonibus non contraria, in tredecim capitulis contenta, statuit et ordinavit; voluitque et mandavit, per eiusdem societatis Eremitas perpetuis temporibus observari. Quare pro parte Francisci et Eremitarum praedictorum Nobis fuit humiliter supplicatum, ut eiusdem Francisci statutis et ordinationibus huiusmodi pro earum subsistentia firmiore, roborationis et confirmationis adiicere firmitatem, aliasque ei super eorumdem sic statutorum

et ordinatorum observantia opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur, qui amatores huiusmodi eremiticae vitae, quae solitudine contenta versatur in abditis et numquam minus sola est quam cum sola esse reputatur, quia coelestis patriae contemplatio illam sociatur et comitatur, et dum saecularis conversationis commercio caret coelestis alimoniae pabulo refocillatur et gaudet, libenter in suo laudabili proposito confovemus, et tamquam tutissimo calle incedentes, et pauperes spiritu, quos D. N. Iesus Christus beatos esse dixit quoniam ipsorum est Regnum Coelorum, pia et paterna caritate prosequimur; et eis, quantum cum Deo possumus, favorem benevoli impertimur huiusmodi. Necnon carissimi in Christo filii Nostri Caroli, Francorum Regis illustris, qui, ut asseritur, ad eosdem Eremitas specialem gerit devotionis affectum et quamdam domum cum Oratorio et opportunis officinis extra et prope civitatem Turonensem construi et aedificari fecit ac eis pie donavit, Nobis pro supradictis eisdem Francisci statuta et ordinationes huiusmodi, ac omnia et singula in dictis capitulis contenta, quae diligenter inspici ac praesentibus de verbo ad verbum adnotari fecimus, auctoritate Apostolica praesentium tenore approbamus et confirmamus, ac praesentis scripti patrocinio communimus, supplemusque omnes et singulos defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem. Et pro potiori cautela ea omnia, quae per eumdem Franciscum ordinata et prohibita fuerunt, de novo dicta auctoritate statuimus et ordinamus, prohibemus et permittimus. Ac volumus, iuxta earum seriem et continentiam, perpetuis futuris temporibus qui erunt, pro eorum regularibus institutis, per Eremitas Ordinis Minimorum fratrum Eremitarum Fr. Francisci de Paula in posterum nuncupatos inviolabiliter observari. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae approbationis, confirmationis, suppletionis et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo, quarto kal. Martii, Pontificatus Nostri anno primo. – BULLAR. ROM. – (186).

CLXXXVII.

(ANNO 1503)

Tropeae et Amantheae controversia pro Episcopatu.

Alexander Episcopus, *Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* — Ad ea ex pastoralis officii divina Nobis dispositione commissi debito libenter intendimus, per quae singulae praesertim Cathedrales Ecclesiae votiva integritate habentur, ne in suis viribus detrimentum seu diminutionem patiantur. Sane cum hodie ad instantiam dilectorum filiorum Universitatis hominum oppidi Amantheae, Tropien. dioecesis, ut dictum oppidum cum illius territorio oppidi, incolis et beneficiis sub Ecclesia Tropien., necnon dominio iurisdictione et superioritate Episcopi Tropien. penitus exoneremus et separemus, ac quamdam Ecclesiam in dicto oppido existentem in Cathedralem Ecclesiam cum iuribus, Canonicatibus et praebendis ac dignitatibus et Cathedralis Ecclesiae insigniis, ipsumque oppidum in civitatem erigeremus, et in eo Episcopum constitueremus qui Tropien. et Amantheae Episcopus vocaretur, fuisset in Concistorio secreto propositum coram Nobis; Nos proinde, quod praemissa in grave moderni et pro tempore existentis Episcopi Tropien. praeiudicium tenderent, ac quod Tropien. et Amantheae mensarum Episcopalium facultates nimis tenues existerent, illarumque Episcopi iuxta episcopalis exigentiam dignitatis se decenter substentare non possent, necnon quod dictum oppidum Amantheae, iam olim ab antiquo et tanto tempore de cuius contraria hominum memoria non existit, ob dignitatem dictae civitatis Tropien., Ecclesiae Tropien. pro illius civitatis decore et venustate, ac fructuum et reddituum augmento, et amplificatione et liberalitate nonnullorum tunc Principum donatum et concessum et per nonnullos Romanos Pontifices Praedecessores Nostros confirmatum existit; his et aliis rationabilibus causis inducti, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, quod de caetero perpetuis futuris temporibus aliqua Cathedralis in ipso oppido et illud in civitatem erigi non possint, nec in eo Epi-

scopus constituatur, sed Oppidum ipsum sub spirituali iurisdictione et dominio moderni et pro tempore existentis Episcopi Tropien. et sub ea denominatione, prout hactenus fuit, in futurum esse et permanere, quodque etiam Episcopus Tropien. tam in civitate Tropien. quam in oppido Amantheae huiusmodi et ubique locorum, Episcopus Tropien. dumtaxat, et non Tropien. et Amantheae perpetuo denominari debeat statuimus et ordinamus, non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque; decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat etc. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quingentesimo tertio, kal. Maii, Pontificatus Nostri anno decimo secundo. – Ex ARCHIVO VATICANO – (187).

CLXXXVIII.

IULIUS PP. II.

(ANNO 1506)

Pro Ordine Minimorum de Paula.

Iulius Episcopus, *Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* — Inter caeteros Regularis observantiae professores, quibus velut rutilantibus gemmis militans decoratur Ecclesia, dilectos filios Franciscum de Paula et alios Ordinis Minimorum professores, qui vitae munditia et caritatis eximiae fervore ac continentiae cingulo lumbos accincti, mortui mundo, Deo vero viventes illique saecularibus sepositis desideriis devotum et sincerum iugiter famulatum exhibentes, ipsam militantem Ecclesiam plurimis virtutum donis illustrant, ac caeteros ad divinae Maiestatis obsequium sua trahunt per exempla, specialis dilectionis praerogativa prosequentes, his quae pro dicti Ordinis felici directione ac manutentione, ad Dei laudem et Religionis propagationem, ab eodem Francisco, dicti Ordinis Patre et Institutore, provida consideratione et ut pie creditur inspiratione divina ordi-

nata fuisse noscuntur, ut firmius illibata persistant, Apostolici muniminis libenter adiicimus firmitatem etc. Nulli ergo hominum etc. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quingentesimo sexto, quinto kal. Augusti, Pontificatus Nostri anno tertio – BULLAR. ROM. tom. XIII – (188).

CLXXXIX.

LEO PP. X.

(ANNO 1513)

Monasterium S. Stephani de Bosco Carthusiensibus restitutum.

Leo Episcopus *Servus servorum Dei, dilectis filiis universis Fratribus Carthusiensis Ordinis salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Apostolicae Sedis consueta benignitas, ne dispositiones de Monasteriis et aliis regularibus locis per eam pro tempore factae valeant quomodolibet impugnari, remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque Nos hodie ex certis causis Monasterio S. Stephani de Bosco Cisterciensis Ordinis, Squillacen. dioecesis, certo modo, quem pro expresso habemus, vacante, de Fratrum Nostrorum consilio, auctoritate Apostolica dignitatem Abbatialem et dictum Cisterciensem Ordinem perpetuo supprimere et extinguere, ac Carthusiensem Ordinem, ita ut de caetero Monasterium ipsum, non Monasterium sed Domus eiusdem S. Stephani nuncupetur, instituere, illamque cum omnibus et singulis eius mobilibus et immobilibus, bonis, iuribus et pertinentiis suis vobis per Nos iuxta vestros ritus et mores et regularia ipsius Carthusiensis instituta, et prout aliae dicti Carthusiensis Ordinis domus reguntur et gubernantur, regendam et gubernandam perpetuo concedere intendimus; Nos ne si forte vos aliquibus sententiis, censuris et poenis Ecclesiasticis ligati existitis, suppressio, extinctio, institutio et concessio praedictae possint quomodolibet impugnari, providere volentes, quemlibet vestrum a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure

vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existitis, ad hoc dumtaxat, ut suppressio, extinctio, institutio et concessio praedictae, ac singulae Litterae Apostolicae desuper conficiendae suum sortiantur effectum, auctoritate Apostolica tenore praesentium absolvimus, et absolutos fore et esse pronuntiamus. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac Ordinum praedictorum, iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, et consuetudinibus caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis et enunciationis infringere etc. Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quingentesimo decimo tertio, decimo septimo kal. Ianuarii, Pontificatus Nostri anno primo. – Tromby tom. IX – (189).

CXC.

(Anno 1513)

Pro eadem Domo S. Stephani, Ordinis Carthusiensis.

Leo Episcopus, *Servus servorum Dei, dilectis filiis universis vassallis Domus S. Stephani de Bosco, Carthusiensis Ordinis, Squillacen. dioecesis, nuper Monasterii Carthusiensis Ordinis, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Hodie, ex certis causis tunc expressis, in olim Monasterio S. Stephani de Bosco Cisterciensis Ordinis, Squillacensis dioecesis, tunc certo modo, quem pro expresso habuimus, vacante, de Fratrum Nostrorum consilio, auctoritate Apostolica, dignitatem Abbatialem et dictum Carthusiensem Ordinem inibi instituimus; ita quod Monasterium ipsum de caetero non Monasterium, sed Domus eiusdem S. Stephani foret et nuncuparetur; illudque cum omnibus et singulis eius mobilibus et immobilibus bonis, iuribus et pertinentiis suis dilectis filiis dicti Carthusiensis Ordinis Fratribus per unum Priorem et aliquot ex eis in decenti numero, iuxta eorum ritus et mores ac ipsius Carthusiensis Ordinis regularia instituta, et prout aliae dicti Carthusiensis Ordinis domus reguntur et gubernantur,

regendam et gubernandam perpetuo concessimus, prout ex Nostris inde confectis litteris plenius continetur. Quare universitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus deputandum per Superiores dicti Ordinis Carthusiensis Priorem, iuxta instituta regularia huiusmodi, pro Nostra et Apostolicae Sedis reverentia devote suscipientes, et debita honorificentia prosequentes, ei fidelitatem solitam iuraque sibi a vobis debita exhibere integre studeatis; alioquin sententiam sive poenam, quam rite tulerit sive statuerit in rebelles, ratam habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiter observari. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quingentesimo decimo tertio, decimo septimo kal. Ianuarii, Pontificatus Nostri anno primo. – TROMBY, tom. IX – (190).

CXCI.

(ANNO 1513)

Pro eadem Domo Ordinis Carthusiensis.

Leo Episcopus, *Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* — Pro commisso Nobis desuper Apostolatus officio, quo universalis Ecclesiae regimini praesidemus, de Ecclesiarum et Monasteriorum aliorumque Regularium locorum omnium statu prospere et salubriter dirigendo continua reddimur attentione solliciti; unde aliqua ex eiusdem Monasteriis et locis, ut in eis grata Deo vigeat observantia, crescat divinus cultus, et fidelium augeatur devotio, novis nonnunquam committimus gubernanda rectoribus, per quorum sollertiae studium et providam diligentiam Monasteria et loca ipsa, etiam alias votiva, in spiritualibus proficiant incrementis. Sane Monasterium S. Stephani de Bosco Cisterciensis Ordinis, Squillacensis dioecesis, quo dilectus filius Noster S. Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis, ex concessione et dispensatione Apostolica, in Commendam nuper obtinebat, commenda huiusmodi ex eo quod idem Cardinalis illi hodie in manibus Nostris sponte et libere cessit, Nosque cessionem ipsam duximus admittendam, cessante adhuc eo quo

rem et Fratres in decenti numero iuxta eorum ritus et mores ac instituta regularia praedicta, et prout aliae dicti Carthusiensis Ordinis domus reguntur et gubernantur, regendum et gubernandum perpetuo concedimus. Ita quod liceat dilectis filiis modernis dicti Ordinis Carthusiensis Visitatoribus in Provincia remotioris Lombardiae, iuxta morem eiusdem Carthusiensis Ordinis et illius Fratrum huiusmodi nomine infra cuius Provinciae limites dicta Domus S. Stephani consistit, Carthusiensis Ordinis et illius Fratrum huiusmodi nomine corporalem Domus S. Stephani bonorumque ac iurium et pertinentiarum praedictorum possessionem per se vel alium seu alios propria auctoritate libere apprehendere, et sic ut praemittitur regendam perpetuo retinere, illiusque fructus, redditus et proventus in fratrum Domusque eorumdem usus et utilitatem convertere, dioecesani loci et cuiusvis alterius licentia super hoc minime requisita. Ac Priori et Fratribus in ipsa Domo S. Stephani pro tempore degentibus privilegiis, gratiis, immunitatibus, indulgentiis, exemptionibus, praeeminentiis, favoribus et indultis spiritualibus et corporalibus, quibus aliae dicti Carthusiensis Ordinis domus ac Priores et fratres in illis pro tempore degentes generaliter utuntur, potiuntur et gaudent, ac uti potiri et gaudere potuerint quomodolibet in futurum, uti potiri et gaudere libere et licite possint, de simili consilio auctoritate praefata indulgemus, non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac dictorum Ordinum iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nos vero ex nunc decernimus irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo etc. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quingentesimo decimotertio, decimo octavo kal. Ianuarii, Pontificatus Nostri anno primo. – TROMBY, tom. IX – (191).

super ea in termino sive terminis et locis in quibus cum personis, quae illa tibi mutuo ut praefertur concedant, seu concesserint in praeteritum, seu anticipata solvere unius pensionis huiusmodi expeditionis effectu conveneritis integre persolvendis, cum quibusvis opportunis promissionibus, submissionibus, clausulis et cautelis efficaciter obligandi, plenam et liberam auctoritate Apostolica tenore praesentium licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, et statutis et consuetudinibus Carthusiensis Ordinis et Domorum praedictarum, etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alias roboratis, privilegiis quoque et indultis Apostolicis illis concessis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod de dictarum parte vigore praesentium mutuo accipiendarum pecuniarum administratione dicto Generali Priori vel deputatis ab eo rationem reddere tenearis. – Datum Romae apud S. Petrum, die decimo octava Decemb. anno millesimo quingentesimo decimo tertio, Pontificatus Nostri primo. – TROMBY, tom. x (192).

CXCIII.

(ANNO 1519)

Erectio Parochiarum Montisleonis, in Miletensi dioecesi.

Leo Episcopus, *Servus servorum Dei, ad futuram rei memoriam.* — Ex debito Pastoralis officii ad ea libenter intendimus, per quae in singulis divini cultus augmento et animarum saluti opportune consuletur, et scandalis obvietur; et his, quae propterea facta fuisse decernitur, ut firma perpetuo et inconcussa permaneant, cum a Nobis petitur, Apostolicae adiicimus confirmationis firmitatem, prout personarum et locorum qualitati in Domino conspicimus salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Universitatis civitatis Montisleonis, Miletensis dioecesis, exhibita Nobis nuper petitio continebat, quod alias dilectus filius Noster Andreas tit. S. Priscae Presbyter Cardinalis, qui etiam Cathedrali Mileten. ex dispensatione Apostolica praeesse digno-

ctorum prorsus immineat, et praeterea tam incolae et habitatores dictae Civitatis quam ipsa Parochialis Ecclesia illorum praesentia carere sine spiritualis salutis dispendio non possent, et si forenses ad huiusmodi portiones admitterentur facile posset contingere quod nulli vel pauci ex eis huiusmodi in dicta Parochiali Ecclesia personaliter residerent, Presbyteri quoque alienigeni propter gravia per eos vel pro eorum occasione alias in dicta Civitate commissa scandala, dictis incolis usque adeo sint infensi, ut illorum opera praefatae incolae in sacramento Confessionis parum quieto animo uterentur; possent etiam ex eorumdem alienigenarum presbyterorum ibi residentia maiora praeteritis scandala sequi, quae inconvenientiae cessabunt si erectio ac statutum et ordinatio huiusmodi de dictis portionibus non obtinendis, nisi per ex dicta Civitate oriundos, quos amor patriae et parentum ac rerum commoditas ad residendum in propriis habitationibus et gregem eorum cum omni diligentia et mutua caritate pascendum facile inducit, suum sortiantur effectum; pro parte eorumdem Universitatis Nobis fuit humiliter supplicatum, ut erectioni, statuto et ordinationi praedictis, pro eorum subsistentiae firmiore robore, Apostolicam confirmationem adiicere, aliasque in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur Universitatem huiusmodi et illius singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis censuris et poenis a iure vel ab homine, quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolvendos et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolica tenore praesentium erectionem, institutionem, statutum et ordinationem praedicta, ac prout illa concernunt exposita in dictis litteris contenta, sine alicuius praeiudicio, adprobamus et confirmamus, ac perpetuae firmitatis robur obtinere debere decernimus supradictos omnes et singulos, si qui intervenerint in eisdem. Non obstantibus Apostolicis, ac in provincialibus et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quingentesimo decimo nono, quinto idus Augusti, Pontificatus Nostri septimo. – Ex Archivo Vaticano – (193).

CXCIV.

CLEMENS PP. VII.

(Anno 1523)

Erectionem Conventus Praedicatorum in civitate Tropeae confirmat.

Clemens Episcopus, *Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* — Romanus Pontifex ex iniuncto sibi desuper Apostolicae servitutis officio ad ea libenter intendit, per quae in singulis piis hospitalibus et aliis piis locis Christiana Religio et divinus cultus propagationem et exinde fidelium animae salutem et spiritualem consolationem suscipiant, ac saecularium ut aliorum temerariorum in aliis ex locis ipsis se illicite intromittentium nefarii conatus comprimantur, et ipsae Ecclesiae ab illorum manibus iniusteque occupantibus eripiantur, ac his quae propterea provide facta fuisse dicuntur ut firma perpetuo et illibata persistant, libenter, cum ab eo petitur, Apostolici adiicit muniminis firmitatem, aliaque de novo concedit, prout conspicit in Domino salubriter expedire. Sane pro parte Thomae Vicarii Generalis Congregationis Calabriae Ordinis Fratrum Praedicatorum, secundum morem dicti Ordinis nuncupati, et aliorum Fratrum Congregationis et Ordinis Praedicatorum, dilectorum filiorum, Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod olim Petrus Paulus Bonsaulis et Benedictus Guoarnes, dioecesis Tropiensis, tunc in humanis agentes, patroni Ecclesiae B. Mariae de Recomodata extra et prope muros Tropeae et Hospitalis illi contigui, qui tunc et per multum tempus antea Ecclesiae et Hospitalis praedictorum fructus, redditus et proventus occupaverant et usurpaverant, ac occupabant et usurpabant seu illa administrabant et gubernabant, tunc quamvis de facto cupientes eorum conscientias in quantum poterant ab occupatione et usurpatione et aliis

praemissis exonerare; considerantesque quod ipsi fructus praedictos usurpare et similia perpetrare non debuerant nec debebant, administrationem, gubernationem et iuspatronatus ac alia iura ad eosdem laicos in Ecclesia et Hospitali praedictis quomodolibet spectantia sponte et ex eorum certa scientia, suo et successorum ac haeredum suorum in perpetuum nominibus, intervenientibus, ad id auctoritate et decreto tunc loci Ordinarii, quondam Conrado Mahonio in humanis tunc agenti donarunt et concesserunt, illaque in eum transtulerunt. Cumque eamdem Ecclesiam et Hospitale praedicta tunc certo modo vacantia, vel Rectore carentia, eidem Ordinario praesentarunt; ipseque Ordinarius ad praesentationem huiusmodi eumdem Conradum in Rectorem et gubernatorem Ecclesiae et Hospitalis praedictorum instituit, ac patroni ab usurpatione fructuum, reddituum et proventuum ac iurium praedictorum ex tunc destiterunt et abstinuerunt, hoc tamen adiecto quod tam patroni et Conradus et Ordinarius praedicti, et pro tempore existentes Episcopus Tropien. ac haeredes et successores patronorum praedictorum, qui etiam Ecclesiae et Hospitalis praedictorum futuri patroni erunt, tenerentur omnem diligentiam facere ad effectum, quod aliqui S. Augustini vel Praedicatorum huiusmodi de Observantia nuncupatorum Ordinum fratres Ecclesiam et Hospitale huiusmodi ad illa regendum et gubernandum, ac inibi suum Monasterium et habitationem construendum acceptarent, et ad illa se conferrent, et inibi Conventum eorum instituerent, et in eventum in quem ad id se conferrent et venirent tunc tam Conradus cessioni vel dimissioni Ecclesiae et Hospitalis praedictorum, quam Ordinarius praedictus acceptationi, habitationi, constructioni et institutioni praedictis in favorem eorumdem tunc venientium, ac perceptioni fructuum, reddituum et proventuum Ecclesiae et Hospitalis praedictorum per eosdem Fratres inibi pro tempore habitantes faciendis, ad effectum introductionis Fratrum Praedicatorum consentire deberent et tenerentur, prout ex tunc prout ex die adventus Fratrum eorumdem, et e contra patroni pro se eorumque haeredibus et successoribus praefatis, reservata tamen eis in signum iurispatronatus huiusmodi illorumque recognitionis una Caibla currentis unius unciae per dictos Fratres inibi

pro tempore habitantes tunc patronis quoad viverent et deinde haeredibus et successoribus praedictis in perpetuum in festo Purificationis B. Mariae annuatim persolvendae, concesserunt, et etiam medio eorum iuramento, ac sub certa pecuniaria poena et obligatione, etiam in forma Camerae vel instrumenti garantiae, aut alia solita forma se et sua etiam Episcopalia et alia bona ad id respective obligando, praemissa omnia adimplere et observare promiserunt, quamvis eorum aliquo defuncto, prout in quodam publico instrumento desuper confecto plenius dicitur contineri. Et deinde eodem Conrado vita functo, Thomas praefatus et alii eiusdem Ordinis professores, postquam praemissorum notitiam habuerunt, zelo devotionis accensi, considerantes quod Ecclesiam et Hospitale praedicta per multa tempora, ut antea praemittitur, in laicorum, et, quod deterius erat, rusticorum et pastorum, pro eorum pecudum et aliorum animalium gregibus pascendis, ac aliorum saecularium manibus ab eis occupata tamquam cortile discooperta et diruta, illorumque fructus, redditus et bona per ipsos laicos usurpata fuerant, in vilipendium et dedecus Religionis, et quod si ipsi iuxta voluntatem Ordinis et patronorum ac tenores instrumentorum praedictorum Ecclesiam et Hospitale huiusmodi ab eis regendum, gubernandum et ei deserviendum acceptarent, et inibi suam domum pro eorum usu et habitatione construerent, et inibi se ad habitandum conferrent, et Conventus institueretur, profecto ex hoc Ecclesia et Hospitale praedicta ex laicorum et aliorum saecularium praedictorum manibus surriperentur, illorumque aedificia reparentur reformarentur et reaedificarentur, illaque et illorum fructus, redditus et proventus et bona ad divini nominis laudem adaugerentur, unde in eis divinus cultus et Christifidelium erga Ecclesiam et Hospitale praedicta devotio magnum incrementum, ac Christi fideles praefati spiritualem consolationem susciperent. Quapropter Thomas et Fratres praedicti, cupientes in agro Domini fructum salutiferum afferre, Ecclesiam et Hospitale huiusmodi pro eorum habitatione, et ad illa regendum et gubernandum ac eis in divinis deserviendum et inibi Domum pro usu et habitatione Fratrum Ordinis Praedicatorum huiusmodi construi et aedificari faciendum acceptare velle deliberarunt. Quibus dilecti filii

haeredes eorumdem patronorum defunctorum, qui ad praesens Ecclesiae et Hospitalis praedictorum patroni existunt, etiam sponte consenserunt, omneque ad illos inibi spectans, ad effectum introductionis Fratrum huiusmodi, reservata tantum eis dicta Cardella, alias iuxta tenorem dicti instrumenti domino Domus, prout in alio simili instrumento similiter dicitur contineri, dederunt. Quare pro parte Thomae et aliorum Fratrum Ordinis Praedicatorum praedictorum, asserentium fructus redditus et proventus Ecclesiae et Hospitalis praedictorum octo ducatorum auri secundum communem existimationem valorem annuum non excedere, Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus eis Ecclesiam et Hospitale praedicta reaedificandi, et prope illa aliquod Monasterium seu domum pro usu et habitatione unius Prioris et aliquorum Fratrum in numero competenti dicti Ordinis Praedicatorum introducendorum, construendi et aedificandi, ac postquam inibi Prior et Fratres habitare coeperint, Ecclesiam et Hospitale praedicta in divinis regendi, licentiam concedere, ac donationes, translationes, concessiones et consensus praedictos, confirmare et approbare, illaque sibi de novo concedere aliasque eis in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulorum Christifidelium, praesertim sacrorum Religiosorum Mendicantium nuncupatorum, per quos Religio propagationem et divinus cultus augmentum salubriter suscipere valeant, votis libenter annuimus, Thomam et singulos Fratres Ordinis Praedicatorum huiusmodi absolventes, huiusmodi supplicationibus inclinati, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, Thomae et Fratribus praedictis, ut ipsi de consensu et sine praeiudicio venerabilis fratris Episcopi Tropien. ac haeredum praedictorum et aliorum, quorum interest, Ecclesiam et Hospitale praedicta reaedificare, ac prope illa aliquam Domum pro usu et habitatione unius Prioris et aliquorum Fratrum numero competenti dicti Ordinis Praedicatorum cum campanili humili, campana, refectorio, dormitorio, hortis, hortalitiis, claustro et loco Capitulo nuncupato, ac aliis officinis necessariis pro usu et habitatione Prioris et Fratrum Praedicatorum huiusmodi construere et aedificare, ac postquam inibi dicti Prior et Fratres Praedicatores coeperint ipsi Ecclesiam et Hospitale praedicta in divinis regere et gubernare, inibique officia

Ecclesiastica ministrare ac alia ad instar aliarum domorum dicti Ordinis Fratrum Praedicatorum illorumque Ecclesiarum facere et gerere, ut omnibus et singulis privilegiis, gratiis, praerogativis, concessionibus, praeeminentiis, exemptionibus, favoribus, indultis et aliis concessionibus quibusvis ac constitutionibus, quibus aliae domus dicti Ordinis Fratrum Praedicatorum illorumque Priores et Fratres utuntur, potiuntur, et gaudent, et uti, potiri et gaudere poterunt quomodolibet in futurum, Domus construenda et illius pro tempore existentes Priores et Fratres praedicti uti, potiri et gaudere libere et licite valeant, de speciali gratia indulgemus, plenamque et liberam ad id licentiam et facultatem concedimus, et consensus, donationes, translationes, cessiones, commissiones, ac omnia et singula alia in eisdem instrumentis contenta confirmamus et approbamus, omnesque et singulos, tam iuris quam facti defectus, si qui forsan intervenerint in eisdem, supplemus, ac potiori pro cautela Ecclesiam et Hospitale huiusmodi ad effectum praemissorum Thomae et Fratribus praedictis dicti Ordinis Praedicatorum praedictorum de novo concedimus, de simili consensu. Non obstantibus praemissis, et fel. record. Bonifacii Papae Octavi Praedecessoris Const. prohibente, ne Ordinis Mendicantium Fratres nova loca ad habitandum recipere seu iam recepta mutare praesumant absque Sedis Apostolicae licentia speciali, plenam et expressam de prohibitione huiusmodi mentionem faciente, et aliis Apostolicis Constitutionibus et ordinationibus ac dicti Ordinis Fratrum Praedicatorum iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus quibuscumque. Nulli ergo etc. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quingentesimo vigesimo tertio, quarto kal. Februarii, Pontificatus Nostri anno primo. – BULLAR. PRAED., tom. IV – (194).

CXCV.

(ANNO 1534)

Tropeae et Amantheae controversia definitur.

Clemens Episcopus, *Servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.* — Ex clementi Apostolicae Sedis provisione dignoscitur, quod Romanus Pontifex quaedam suorum Praedecessorum Romanorum Pontificum pro Ecclesiarum praesertim Cathedralium iurium conservatione provide concessa innovet et de novo concedat, ac alia pro eorum observatione provideat, prout in Domino conspicit salubriter expedire. Dudum siquidem a fel. record. Alexandro Papa Sexto Praedecessore Nostro emanarunt Litterae tenoris subsequentis etc. Et deinde, sicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Nicolai Ioannis Barone civis Tropien. Syndici dilectorum filiorum Communitatis civitatis Tropeae petitio continebat, licet clarae mem. Ferdinandus Aragoniae et Siciliae Rex tunc in humanis agens litteras Alexandri Praedecessoris Nostri admisisset et illas observari mandasset, et litteras desuper opportunas concessisset, et carissimus in Christo filius Carolus Romanorum Imperator, qui etiam Siciliae Rex existit, omnia praemissa per dictum Ferdinandum Regem gesta approbasset; nihilominus Nos ad ipsorum Universitatis instantiam Archidiacono Ecclesiae Neocastren. eius proprio nomine non expresso, et dilecto filio Michaëli de Senis Ordinis Fratrum Minorum et Theologiae Professori, ut vocatis vocandis, se de praemissis diligenter informarent, et processum desuper per eos formandum ad Nos transmitterent per quosdam, et deinde ad Communitatis praedictorum instantiam suspicionis ipsorum Archidiaconi et Michaëlis, ac totius causae cognitionem Episcopo Mileten. seu eius in spiritualibus Vicario Generali et Archidiacono Ecclesiae Mileten. eorum propriis nominibus similiter non expressis, per alias Nostras litteras in forma Brevis commisimus. Ipseque Episcopus Mileten. seu Vicarius et Archidiaconus dictae Ecclesiae Mileten. in causa eiusmodi ad nonnullos actus, citra tamen conclusionem, dicuntur processisse. Cum autem Universitas processum per

Archidiaconum dictae Ecclesiae Neocastren. et Michaëlem praefatos formatum Nobis nuper praesentari fecerint, Nosque processum huiusmodi dilecto filio Nostro Laurentio tit. S. Mariae Transtyberim Presbytero Cardinali Campegio nuncupato examinandum ac Nobis referendum vivae vocis oraculo commiserimus, et dictus Laurentius Cardinalis tam dicto Nicolao Ioanni Communitatis Tropeae Syndico quam dilectis filiis Nicolai de Clemente alias Sacco et Paulo Carratello Universitatis Amantheae Syndicis ac pro eiusdem Universitate agente Ioanne de Fonteca doctore saepe et saepius auditis, iura utriusque partis ac processum coram eo exhibitum diligenter, extraiudicialiter tamen, examinaverit, et super hinc inde deductis et allegatis matura deliberatione praehabita nihil invenisse probet, quod dicta Ecclesia Amantheae in Cathedralem erigi et a contentis in Litteris Alexandri Praedecessoris huiusmodi et a privilegiis dictae civitatis Tropeae concessis iuridice recedi possit Nobis retulerit; pro parte dicti Nicolai Syndici, qui etiam Litteras praefati Caroli Imperatoris sub dat. Maioricae vicesima mensis Augusti proxime praeteriti, et ad dilectum filium nobilem virum Ferdinandum de Silva Comitem de Ciffuentes, eiusdem Caroli Imperatoris apud Nos Oratorem, directas inter alia continentes, quod idem Ferdinandus Comes praefatae communitati Tropeae assisteret, et quod ad erectionem praedictam procedi non debere Nobiscum ageret, ac confirmationem Litterarum Alexandri Praedecessoris Nostri huiusmodi obtinere curaret, coram Nobis exhibere fecit, Nobis fuit humiliter supplicatum, ut Litteras Alexandri Praedecessoris huiusmodi innovare et alias in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi dissidii materiam prout possumus submovere, et futuris scandalis, quae ex separatione et erectione huiusmodi verisimiliter subsequerentur, necnon ulteriores lites devitare volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ex certa Nostra scientia ac de Apostolicae potestatis plenitudine, Litteras Alexandri Praedecessoris huiusmodi auctoritate Apostolica tenore praesentium innovamus et de novo concedimus, non obstantibus praemissis ac Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non litteris Brevis huiusmodi, etiam quascumque clausulas et irritantia decreta in se continentibus,

quibus, illarum tenores pro sufficienter expressis habentes, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae innovationis, concessionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire etc. Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quingentesimo trigesimo quarto, decimo septimo kal. Iunii, Pontificatus Nostri anno undecimo. – EX ARCHIVO VATICANO – (195).

CXCVI.

(ANNO 1534)

Circa huiusmodi definitionem de Tropaea et Amanthaea.

Clemens Episcopus, *Servus servorum Dei, venerabili fratri Episcopo Casertano et dilectis filiis Archidiacono et Thesaurario Ecclesiae Mileten., salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Hodie emanarunt Litterae tenoris sequentis etc. (ut supra). Quocirca discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo vel unus vestrum per vos vel alium seu alios Litteras Nostras praedictas et in eis contenta quaecumque, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte Communitatis praedictorum desuper fueritis requisiti, solemniter publicantes, eisque in praemissis efficaci defensionis subsidio assistentes, faciatis auctoritate Nostra Litteras et in eis contenta huiusmodi firmiter observare, ipsosque illis pacifice gaudere, non permittentes eosdem desuper per Universitatem praefatorum seu quoscumque alios contra earum Litterarum tenorem quomodolibet molestari contradictores quoslibet et rebelles per censuras et poenas ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis servatis processibus, censuras et poenas ipsis iteratis vicibus aggravando, ac interdictum ecclesiasticum apponendo, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis, non obstantibus sanctae mem. Bonifacii Papae Octavi etiam Praedecessoris Nostri Const. qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis, ad iudicium evocetur,

censentes, tuisque super hoc Nobis humiliter porrectis precibus inclinati, tibi vigore praesentium Litterarum possessionem, vel quasi, regiminis et administrationis dictae Ecclesiae Oppidensis ac bonorum illius capiendi captamque continuandi, fructusque illius percipiendi et in tuos usus convertendi, auctoritate Apostolica tenore praesentium licentiam concedimus et facultatem. Mandantes dilectis filiis Capitulo et vassallis Ecclesiae praedictae in virtute sanctae obedientiae, ut te tamquam eorum Pastorem obedienter recipiant, tibique reverentiam et obedientiam solitas ac debitas praestent, ac de fructibus respondeant. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, praesertim fel. record. Bonifacii Papae Octavi Praedecessoris Nostri quae incipit: *Universi*, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem quod Litteras sub plumbo praedictas intra sex menses a data praesentium computandas expedire, iuraque omnia propterea debita persolvere omnino tenearis; aliter praesentes nullius sint roboris vel momenti, dictaque Ecclesia vacare censeatur eo ipso. – Datum Romae apud S. Petrum, die decima quarta Martii, anno millesimo quingentesimo trigesimo sexto, Pontificatus Nostri anno secundo. – Ex Archivo Vaticano – (197).

CXCVIII.

(Anno 1539)

Marcellus Cervinus (deinde Marcellus PP. II) electus Episcopus Neocastrensis.

Paulus Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Marcello Cervino electo Neocastrensi.* — Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem. – Cum Nos nuper in Concistorio Nostro secreto, ut moris est, Ecclesiae Neocastrensi tunc per obitum bon. mem. Pauli dum viveret Episcopi Neocastrensis, qui apud Sedem Apostolicam diem clausit extremum, Pastoris solatio destitutae, de persona tua Nobis et Fratribus Nostris ob tuorum exigentiam meritorum, accepto de eorumdem Fratrum consilio, providerimus, teque illi in Episcopum praefecerimus et Pastorem, prout in aliis Nostris sub plumbo prope diem expediendis Lit-

CXCIX.

IULIUS PP. III.

(ANNO 1552)

Ioannes Baptista Castaneus (deinde Urbanus PP. VII) electus Archiepiscopus Rossanensis.

Iulius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Ioanni Baptistae Castaneo, electo Rossanensi, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Apostolatus officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini divina dispositione praesidemus, utiliter exequi, coadiuvante Domino, cupientes, solliciti corde reddimur et solertes, ut cum de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Pastores praeficere studeamus, qui populum suae curae creditum sciant non solum doctrina Verbi sed etiam exemplo boni operis informare, commissasque sibi Ecclesias velint et valeant auctore Domino salubriter regere et feliciter gubernare. Sane Ecclesia Rossanensis, ex eo quod Nos hodie regressum dudum dilecto filio Nostro Hieronymo tit. S. Martini in Montibus Praesbytero Cardinali Verallo nuncupato, ad eamdem Ecclesiam dilecto filio Paulo Aemilio electo Caputaquensi nuper Rossanensi cedente vel decedente, seu eidem Ecclesiae alias quomodolibet praeesse desinente, et illa quovis modo vacante etiam apud Sedem Apostolicam et in certos alios tunc expressos eventus Apostolica auctoritate concessum, ipsius Hieronymi Cardinalis ad hoc expresso accedente consensu, cassantes et extinguentes, et in infra scripta vacatione effectum sortiri aut locum sibi vindicare non posse neque debere decernentes, eumdem Paulum Aemilium electum a vinculo quo dictae Ecclesiae, cui tunc munere consecrationis sibi nondum impenso praeerat, tenebatur, de Fratrum Nostrorum consilio et Apostolicae potestatis plenitudine absolvimus, et ad Ecclesiam Caputaquensem tunc certo modo Pastoris solatio destitutam de simili consilio dicta auctoritate transtulimus, praeficiendo ipsum eidem Ecclesiae Caputaquensi in Episcopum et Pastorem, per translationem huiusmodi Pastoris

exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod inter te et ipsos Suffraganeos gratia gratos sortiatur effectus, et Nos devotionem ipsorum possimus propterea merito in Domino commendare, ac Clerus te pro Nostra et eiusdem Sedis reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter et efficaciter adimplere procurent. Populus vero te tanquam Patrem et Pastorem animarum suarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, tuis monitis et mandatis salubribus humiliter intendat; ita quod tu in eis devotionis filios et ipsi in te per consequens Patrem benevolum invenisse gaudeatis. Vassalli autem praefati te debito honore prosequentes, tibi fidelitatem solitam nec non consueta servitia et iura tibi ab eis debita integre exhibere procurent; alioquin sententiam sive poenam, quam respective in rebelles rite tuleris seu statueris, ratam habebimus et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Rogamus quoque carissimum in Christo filium Nostrum Carolum Romanorum Imperatorem semper Augustum, qui etiam Siciliae Rex existit, ac carissimam in Christo filiam Nostram Ioannam Siciliae Reginam illustrem, quatenus te et praefatam Ecclesiam Rossanensem habentes pro Nostra et dictae Sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis tuis et dictae Ecclesiae Rossanensis iuribus sic te benigni favoris auxilio prosequantur, quod tu eorum fultus praesidio te possis in commisso tibi eiusdem Ecclesiae Rossanensis regimine utilius exercere, ac eisdem Carolo Imperatori et Regi nec non Ioannae Reginae a Deo perennis vitae praemium et Nobis condigna proveniat actio gratiarum. – Datum Romae apud S. Petrum, anno Incarn. Dom. millesimo quingentesimo quinquagesimo, secundo, pridie kal. Martii, Pontif. Nostri anno tertio. – Ex Archivo Vaticano – (199).

CC.

PIUS PP. IV.

(ANNO 1559)

Antonius Fachinettus (deinde Innocentius PP. IX) electus Episcopus Neocastrensis.

Pius Episcopus, *Servus servorum Dei, dilecto filio Ioanni Antonio Fachinetto, electo Neocastrensi, salutem et Apostolicam Benedictionem.* — Apostolatus officium etc. Sane Ecclesia Neocastrensis, quam dilectus filius Noster Iacobus S. Mariae in Cosmedin diaconus Cardinalis de Sabellis nuncupatus, ex concessione et dispensatione Apostolica in administrationem nuper obtinebat, administratione huiusmodi ex eo quod dictus Iacobus Cardinalis illi hodie in manibus Nostris sponte et libere cessit Nosque cessionem ipsam duximus admittendam, cessante adhuc ex eo quod dum praedictus Iacobus Cardinalis illi Administrator deputatus fuerat vacabat, modo Pastoris solatio destituta; Nos verum et ultimum dictae Ecclesiae vacationis modum, etiam si ex illo quaevis generalis reservatio etiam in corpore Iuris clausa resultet, praesentibus pro expresso habentes et ad provisionem eiusdem Ecclesiae celerem et felicem, ne Ecclesia ipsa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eidem Ecclesiae personam utilem et etiam fructuosam cum fratribus Nostris habuimus diligentem, demum ad te Clericum Bononiensem, Litterarum Apostolicarum minoris praesidentiae Abbreviatorem, Familiarem Nostrum, utriusque iuris Doctorem, de legitimo matrimonio procreatum, in quadragesimo vel circa tuae aetatis anno constitutum, clericali charactere dumtaxat insignitum, vitae ac morum honestate decorum, in spiritualibus providum et in temporalibus circumspectum, aliisque multiplicium virtutum donis, prout etiam fide dignis testimoniis novimus, insignitum, direximus oculos Nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, teque a quibusvis excommunicationis etc. vinculis absolventes, de persona tua Nobis et eisdem Fratribus ob tuorum

exigentiam meritorum accepta praefatae Ecclesiae, de ipsorum Fratrum consilio, Apostolica auctoritate providemus. Quocirca dilectis filiis Capitulo et vassallis dictae Ecclesiae, ac Clero et populo Civitatis et dioecesis Neocastren. per Apostolica scripta mandamus, quatenus Capitulum tibi tamquam Patri et Pastori animarum suarum humiliter intendentes, exhibeant tibi obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ac Clerus pro Nostra et Sedis praedictae reverentia benigne recipientes et honorifice pertractantes, tua salubria monita et mandata suscipiant humiliter, et efficaciter adimplere procurent etc. Rogamus quoque et hortamur attente carissimum in Christo filium Nostrum Philippum utriusque Siciliae Regem illustrem ac venerabilem fratrem Nostrum Archiepiscopum Rheginum, ipsi Archiepiscopo per eadem scripta mandantes quatenus te et praefatam Ecclesiam dicti Archiepiscopi suffraganeam habentes pro Nostra et dictae Sedis reverentia propensius commendatos, in ampliandis et conservandis eiusdem Ecclesiae iuribus sic te benigno favore prosequantur, quod tu eorum fultus praesidio te possis in commisso tibi eiusdem Ecclesiae regimine utilius exercere, ac eidem Philippo Regi a Deo perennis vitae praemium et a Nobis condigna proveniat actio gratiarum, ipseque Archiepiscopus proinde divinam misericordiam ac Nostram et eiusdem Sedis benedictionem et gratiam valeat uberius promereri. Et insuper, ut statum tuum iuxta Pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, Motuproprio non ad tuam vel alterius pro te Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam sed de Nostra mera liberalitate, tibi ut etiam postquam in vim provisionis et praefectionis praedictorum pacificam possessionem seu quasi regiminis et administrationis dictae Ecclesiae ac illius bonorum seu maioris partis eorum assecutus fueris et munus Consecrationis susceperis, officium Abbreviatoriae Litterarum Apostolicarum de minori Praesidentia, quod obtines et exerces, ut prius quoad vixeris etiam una cum dicta Ecclesia quamdiu illi praefueris retinere et exercere ac illius emolumenta percipere, exigere et levare libere et licite valeas, Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac Collegii dilectorum filiorum earumdem Litterarum de eadem Praesidentia Abbreviatorum, etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quavis

eorum usum, sed ad Ecclesiae ministerium et servitium destinatis et dicatis, omnem curam et solertem diligentiam adhibuerunt, ex qua Praelatorum negligentia, ne dicatur incuria, cultus divinus tam in ipsa Cassanen. civitate, quam in tota dioecesi diminutus adeo fuit, ut Presbyteri et clerici ob rectoris absentiam, licentiosi admodum et minus forsan religiosi quam esse deberent effecti sint, non sine maximo scandalo et mala eorum susurratione. Quorum Episcoporum exempla obtinent in dicta Ecclesia dignitates, velut Decanus, Thesaurarius, Cantor et quamplures Canonici, ob dicti rectoris absentiam, nec residere nec Ecclesiae deservire curarent neque curent, imo ad tantam miseriam res ipsa redacta est, ut etiam laici Canonicatus in dicta Ecclesia retinere non erubescant. Et ideo per homines et fideles illius Civitatis frequentia legata pro Episcopalis Ecclesiae conservatione et reparatione quae fiunt et in dies fieri solent, nihilominus dicta Ecclesia numquam reparatur, sed potius in ruinam ire permittitur. Dicta legata ab ipsis Episcopis in eorum proprios usus, Ecclesiae vero in praeiudicium totius populi et scandalum et contra mentem testatorum et sacrorum canonum dispositionem disponere usurpantur; quo fit ut Vicarii, qui pro tempore potius iam ad lucrum et proventus percipiendos, quam ad Ecclesiae regimen et animarum curam idonei deputantur, extra urbem habitare solent; adeo ut tribunal, Episcopi residentia, decor pontificalis, dignitas Ecclesiae et animarum cura penitus extincta aut destituta videantur. In ipsa vero Ecclesia vix quaedam campana; vix duo vel tres calices, et vix paramenta seu vestimenta Sacerdotalia, et illa quidem consumpta et lacerata existunt, quampluraque alia desunt fere necessaria ad honorem et cultum divinum, in tantum ut quaelibet etiam ruralis et minima Parochialis Ecclesia in qualibet villa longe melioris conditionis et melius culta quam Cassanen. Ecclesia existat. Nec mirum, quia antiquitus dictae Ecclesiae certum olivetum legatum fuerit ad effectum ut lampades Ecclesiae Cathedralis in honorem Dei, et divini cultus abunde accenderentur; nihilominus Episcopi et eorum ministri ad tantam avaritiam pervenerunt, ut dictum legatum sibi vindicaverint, lampades aut raro aut numquam accendi curaverint. Minus etiam mirum erit, si, contra libertatem

in omnibus praemissis et aliis iuxta tuam prudentiam, convinctionem et dispositionem sacrorum Canonum et sacrosancti Concilii Tridentini, tam circa res tam circa personas et mores brevi manu provideas; et omnia, quae facti et negotii qualitas exigit et requirit, exequaris et exequi mandes et facias. Et insuper ad tollendum omne dubium, et ut de caetero prospicias futuris temporibus ut ad Metropolitanum recursus, appellatio et reclamatio non impediatur, prout hactenus a quam plurimis annis extra Pontificum potestatem ob favores Episcoporum Cassanen. qui in Romana Curia plurimum pollebant, impedita fuerunt, ideo omnia et dioecesim tibi quodammodo spoliatam in pristinum statum restituimus; teque in Metropolitanum et superiorem confirmamus, et quatenus opus sit de novo concedimus damus et adsignamus, cum vi superioritate auctoritate et tituli iurisdictione, iuxta sacrosanctum Concilium Tridentinum et alias canonicas sanctiones, omni prorsus desuetudine aut consuetudinibus, reformationibus, provisionibus, indultis quoque et privilegiis, etiam si per Motum proprium in contrarium forsan concessis omnino sublatis, etiam si talia essent, quae ad illorum derogationem specialem exigerent mentionem. – Quibus omnibus hac vice dumtaxat, ac etiam cum facultate ubi, quos, quibus et quoties opus fuerit citandi, monendi, et inhibendi, etiam ad valvas dictae Cathedralis Ecclesiae Cassanen. affixa copia, et Commissarios ad locum destinandi, transmittendi, quoscumque deputandi executores revisores et ministros, omniaque alia in praemissis et circa ea necessaria et opportuna dicendi, gerendi, exercendi, procurandi, restituendi, ordinandi, exequendi et adimplendi, exequi, adimpleri et restitui faciendi, et sub censuris ecclesiasticis, privationibus et aliis pecuniariis poenis arbitrio tuo imponendis, moderandis et applicandis, contradictores et inobedientes in poenas praedictas incidisse et incurrisse declarandi, eosque aggravandi et reaggravandi, interdictum ecclesiasticum apponendi, auxilium brachii saecularis, si opus fuerit, invocandi, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. – Datum Romae apud S. Marcum sub annulo Piscatoris, die decima septima mensis Septembris, anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, Pontificatus Nostri anno primo. – Ex Archivo Ecclesiae Rheginae (201).

CCII.

(ANNO 1571)

Episcopalis Ecclesia S. Leonis aggregatur Metropolitanae Sanctae Severinae.

